menta uſurpent, ac invadant, præterquam quod parum deceat,
A monachum iſtiuſmodi cum mulieribus commercium, ac lateri
juncta fœminarum ſocietas, nam ritus purificationis is eſt, ut
Parochus mulierem ad oſtium Eccleſiæ ſubſiſtentem, & can-
delam manu ferentem, porrecta ſtola ex collo pendente manui
illius introducat, & ad altare deducat, coram quo benedicitur,
& ſi integrum ſit, Miſſam audit; quem ſanè ritum Monachis
mundo mortuis, & juxta ſui nominis notionē ſolitariis non cō-
petere, nemo prudens rerum æſtimator inficiabitur. Certè Vir-
go Deip. ad templum Jeroſolymitanum ſe contulit, ut legē Pu-
rificationis impleret, quod in omnibus ſolemnitatibus ſacrifi-
ciis, ac ritibus publicis typum geſſit Eccleſiarum Parochialiū,
quæ antiquiſſimæ ſunt, neque alias præter has extitiſſe, ſaltem
quoad miniſteria, temporibus Apoſtolorum, & vetuſtiſſimorū
Eccleſiæ Paſtorum evidens eſt, niſi fortaſſis alibi fuerint parti-
cularia quædam oratoria. Hinc S. Chryſ. *hom. 25. in ep. ad Hebr.*
Neque veſtigium monachi tunc erat, nēpè prout poſteriorib.
ſæculis inſtituti ſunt, nam D. Hier. vocat Paulum Anachoretā
primum Eremi inſtitutorem, neq; etiā tunc ita paſſim ordinbā-
tur ſacerdotes, ut conſtabit facilè inveſtiganti primam religio-
nū ſacrarū originē: neq; in urbib. aut vicis, ubi populi frequētia
erat, ſed in ſylvis, ac ſolitudine morabantur, unde *ad Paul.* iterū
B *S. Hier.* Si inquit, cupis eſſe, quòd diceris monach. 1. ſolus, quid
facis in urbib. quæ nō ſunt ſolorū habitacula, ſed multorū; eſtq;
vox magni illius Arſenii, Quod piſcis in arido, hoc Monachus
in oppido. Quāvis poſteriorib. ſæculis, creſcente fideliū meſſe,
cū Parochi non ſufficerēt zizaniis, quæ dormientib. hominibus
inimicus homo ſuperſeminabat evellendis, providè admodū in
illorum ſubſidiū acceſſerint etiā Regulares, qui proinde voca-
tionis ſuæ memores, matricū Eccleſiarum reverentiā, cultū, &
populi erga eaſdē obſequia promovere, & amplificare tenētur,
omnemq; obicē, quo vel minimū ea imminuerentur, aut ab iis
populus diſtraheretur, quavis ratione à medio tollere: præſer-
tim cū & conſtitutionib. Apoſtol. Summorū Pontificū, & ali-
bi per Concordata, quibus ſe obſtrinxerunt, ad id obligentur.

QUOAD SEPULTURAM.

Quamvis liberum ſit unicuique ſepulturā eligere, ſi nolit ma-
jorum tumulo inferri, aut Paroch. Eccleſia ſepeliri: tamen etiā
tunc Cathedrali, vel Parochiali Eccleſiæ debetur quarta fune-
C ralis, quæ eiſdem reſervatur. quamq; Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 13.* ad
priſtina jura vult revocari Conc. etiam Lat. *ſſ. 23. c. 13.* decernit,
& mandat, ſi quarta funeralium ante per an. XL. præſtari ſolita
ſit Eccl. Cathed. aut Paroch. ea ſervetur, non obſtantibus privi-
legiis etiam Mari magno (in quo religioſi mendicantes plerūq;
natant) appellatis. Meminiſſe interim oportet, inquit *F. Jyp. ſup*
de ſepultura; non poſſe Mendicantes in ſuis Eccleſiis ſepelire,
niſi eos, qui in eorum eccleſiis ſepulturam majorum habēt, vel
vivi cam elegerunt, *c. 1. & d. c. 10. & Cle. dud. & ext. rum ſuper*
Cathed. de ſeq. neq; eſt in poteſtate conſanguineorum, ut defū-
ctum extra parochiale, aut majorum illius monumentum ſepe-
liant, ſed id ſolo patri ſpecialiter conceditur pro filiis ſuis im-
puberibus tantùm, *de uxore, ult. de ſep. c. licēt, eo. in 6.*

Quoad verò quartam funeralium, ex quibus ea debeatur,
modum ſtatuerunt variorum locorum Concordata. Sic in
ditionibus Belgicis conſtat, Ordines, præſertim Mendicantes,
quibuſcum (quia jus ſepulturæ habent) antiqua Parochis lu-
cta fuit, raro, & fortè nullis in locis, puris, & integris ſuis pri-
vilegiis uti, ſed modificatis per inveteratos uſus, aut Concor-
data, quæ obſervanda ſunt, *c. ult. de pactis in 6. Leo E. in Conc.*
Lat. in ſubinferta Conſt. his verbis. Pacta autē, & conventiones
inter eoſdem Fratres, & Prælatos, atque Curatos pro tempore
D inita valeant, niſi per ſubſecutum Capitulum proximum
Generale, vel Provinciale refutata, & per eos refutatio hu-
juſmodi intimata, debito tempore fuerit.

Certè F. Minoritæ Antuerpiæ obligantur vi Cōcordatorū, &
admiſſionis ſuæ, quotānis initio quadrageſimæ per Superiores
ſuos ad Capitulū accedere, & de remiſſione Quartæ funeralis
gratias agere, eamq; denuò gratioſè ſibi cōcedi petere; ac ſimul
Cōfeſſarios, & Cōcionatores, quos per Civitatem habent, ſcri-
pto exhibere. Quod ſemper, & inviolabiliter obſervatum fuit.

Parœmia. ☞ *Vide Proverbium.*

* Parricidium.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PArricidium à pater, & cædo deducitur: & propriè ſignifi-
cat cædem patris à filio illatam. Generalius tamen etiam
parricida vocatur parentum interfector. Et lege Pompea cau-
tum eſt, ut parricidii teneatur non ſolùm, qui patrem, &
matrem interfecerit, ſed qui etiam fratrem, ſororem, ne-
ptem, matruelem, patruelem, filium, filiam, nurum, alioſque
propinquos. Extat quoque lex Numæ Pompilii: Si quis libe-
rum hominem morti ſciens dedit, parricida eſto, ita Feſtus E
l. 14. Plutarch. dicit homicidium à Romulo vocatum parrici-
dium. Immò, qui patriam opprimit, aut Principem interimit,
parricida appellatur, & ut talis punitur.

EJUS ENORMITAS.

Parricidii enormitas tanta etiam veteribus Ethnicis viſa
fuit, ut nunquam fieri illud poſſe ſenſerint. Notat Plut. Ro-
mulum nullam legem tuliſſe adverſus eum, qui patrem occi-
diſſet, quòd tale facinus impoſſibile judicaret: cum omnia
jura cum divina, tum humana id deteſtentur. Imitatus hunc
Solon, nullam enim legem præſcripſit in illos, qui paren-
tes neciſſent, nullumque ſupplicium decrevit, ac rogatus
cauſam dixit. Non putare ſe aliquem fore parricidam.

Perſæ ajunt, neminem unquā patrem ſuum, aut matrem ſuam
occidiſſe: verùm quotquot horum fortè acciderunt, omni ne-
ceſſitate excuſſa, nos tandē deprehēſos tradunt, aut ſubdititios,
aut ſpurios. Quippè veriſimile nequaquam videri ajunt, ut is,
qui verus parens ſit, à proprio filio interimatur. *Herodot. lib. 1.*

In parricidio nulla ſatis juſta cauſa ad ſceleris patrocinium
prætexi poteſt. *Juſtit. biſt. lib. 16.*

Non tam facile excuſari poteſt parricidium, quā fieri. Et, Aliud F
eſt parricidiū, accuſare innocentē occiſum *Spart. in Caracal.*

USURPATIO, utputa PARRICIDÆ, QUI QUALES. QUOMODO.

Quære *Locum de Perfidia*, ubi *Tit. Perfidi erga parentes, eos*
necando, ubi varia hujus ſceleris exempla reperiuntur.

Primus autem, qui Romæ parricidium perpetravit, patrem-
que trucidavit, L. Oſtius fuit, poſt annos DC. ab V.C. ut teſta-
tur *Franc. Balduin. comm. in Leges Romuli lib. XI.*

POENA VARIA.

Vide *Infrà in loco de Pœna, Punitione.* Tit. *Parricidii, Injuri-*
æ in parentes, perfidiæ in ſanguine junctos pœna juſta.

Graviſſimè ſanè ſemper vindicatum fuit Parricidii ſcelus,
quod monſtri, aut prodigii ſimile Cicero cenſuit, atque omnia
ſcelera eo maleficio contineri. Si quis ait Lex à Conſtantino
lata, parentis, aut filii, aut omnino affinitatis ejus, qui nuncu-
patione parentum continetur, fata præparavit, ſive elam, ſive
palàm id eniſus fuerit, pœna parricidii puniatur, & neque gla-
dio, neque ignibus, neque ulli alii pœnæ ſubjugetur, ſed inſu-
tus culeo, cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia, & G
inter eas ferales anguſtias comprehenſus ſerpentum contuber-
niis miſceatur: & ut regionis qualitas tulerit, vel in vicinum
mare, vel in amnem proiiciatur, ut omnium elementorum
uſu vivus carere incipiat, & eo cœlum ſuperſtiti, terra
mortuo auferatur. Hactenùs lex: Quam etiam habet *Ju-*
ſtinianus in inſtit. de publicis judiciis, §. *Alia.*

Sed longè ante Conſtantinum fuit lex more majorū de par-
ricidiis inſtituta, *ut conſt. ex l. pœn ff. ad legē Pompejā de parri-*
cidiis, ubi habetur: Pœna parricidii more majorū hæc inſtituta
eſt, ut parricida virgis ſanguineis verberatus, deinde in culeo
inſuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia: deinde in
mare profundum culeus jactetur. Hoc ita: à mare proximū fit;
alioqui beſtiis ſubiicitur, ſecundum Adriani conſtitutionem.

POENA A DEO INFLICTA.

Quantū verò Deus vindicaverit parricidiū, tribus memorabi-
libus exēplis docetur in *Loco de Homic. Tit. Pœna Parricidii.*
Itē vide ante *ex loc. de Parēt. Tit. Impietas cōtra parētes punita.*

Parſimonia.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PArſimonia, Græcè φειδὼ, & φειδωλὸς, parcus, & φείδομαι, H
parco dicitur: Eſt autem parſimonia, qua animi, honeſti
& utilis cauſa, ne diſpendium faciens, & bona ſua operum no-
mine, vel facultatum appellata, inutiliter, inhoneſtèque con-
ſumant, ſed tueantur, atque cuſtodiant, prudenter conſide-
rant. Cujus contrarium eſt luxuria, ſeu luxus, & bonorum
dilapidatio, videturque parſimonia differre à frugalitate, quòd
parſimonia eſt quid generalius: *Frugalitatis* verò eſt propriè
cibi, potuſque mentis frugi, ac bene compoſitæ moderatio: cu-
jus contrarium voracitas. Cicero tamen frugalitatem dicit plu-
ra complecti, ſcilicet fortitudinem, juſtitiam, prudentiam.

Parſimonia à parco venit. Eſt enim parcere inter alia, quæ ha-
bet ſignificata, idem quòd abſtinere. Virg. *Parce pias ſcele-*
rare manus. Hinc fit parſimonia, quæ pro moderatione ſump-
tuum, & parcitate, hoc eſt, conſervatione rerum accipitur.

Parſimonia, vel Parcimonia moderatio ſūptuū, parcitas, fru-
galitas, parcus rerū uſus, vox media, quæ in malā partē ſumpta,
tenacitatem, illiberalitatē, ſordes, avaritiā denotat, de qua vide
etymologicō trilingue Lugd. an. 1607. editum. p. 1568. & 569.
in

in voce. *Pareus.* Si in bonam partem ſumas, virtus eſt, qua ca-
A vemus, ne, quòd diſpendium ultra modum fiat, res familiaris
(quoad fieri poteſt) ſine cujuſdam injuria conſervetur. *Chilai.*
Hebr. eſt parcus, qui aliquid vehementer appetit, tenax, illibe-
ralis, avarus. Quandoquidem vero parſimonia laudata ſpecies
eſt quædam juſtitiæ diſtributivæ, hinc fit, ut verbum *Chos*,
quod ſignificat pepercit connivendo, miſertus eſt, quo utitur
David Pſal. 72. 13. à parſimonia res pretioſiſſimæ, nempè ſan-
guinis, & vitæ afflictorum ad facultatum conſervationem
translatum etiam fuerit, & parſimonia, ſeu frugalitas *Cuſan*, à
nonnullis dicta ſit, voce à verbo *Chos*, derivata.

Plenior parſimoniæ definitio eſt, qua dicitur eſſe virtus,
quæ res proprias cuſtodit, utiliter collocat, vitat ſumptus non
neceſſarios, emacitatem, luxum, mutationes, ædificationes,
& tamen ubi poſtulat ratio, quantum opus eſt, expendit. Vi-
cina virtus eſt liberalitati, eadem habens extrema. Sicut libe-
ralitas avaritiæ, & tenacitati, eodem modo parſimonia pro-
fuſionibus, & prodigalitati magis oppoſita eſt. Nequeunt
enim ad benefaciendum ſuppetere facultates, niſi parſimonia
aſſerventur, ut monet proverbium, *Bonus Serva ſius bonum*
facit, & ducit Bonifacium.

B * CAUSÆ.

Parſimoniæ partes ex definitione colliguntur. De emacitate
fugienda occurrit Catonis dictum à Seneca deſcriptum, *Epiſt.*
91. Eme, non quòd opus, ſed quòd neceſſe eſt. De mutationibus
obſervanda eſt Chiſonis ſententia. Comitem æris alieni eſſe
miſeriam. Extat de ædificationibus, & domeſticorum ac para-
ſitorum turba diſtichon Græcum, ita converſum:

Ædificare domos, & paſcere corpora multa,
Ad paupertatem proximus eſt aditus.

Cauſæ efficientes ſunt mandatum Dei, prudentiam, rei do-
meſticæ honeſtam curam commendantis. Spiritus S. flectens
mentes pias ad modeſtum victum, & cultum, Fines & effectus
ſunt, 1. ut Deo obedientiam debitam præſtemus. 2. Noſtras fa-
cultates conſervemus, & augeamus rationibus juſtis, ſine pra-
va cupiditate, *Heſiodi* dicti memores,

Adde parum parvo, ſuperadde puſillum,
Fiet & hoc magnum: infelix pelletur egeſtas.

3. ut ad beneficentiam, & ſumptus neceſſarios facultates non
deſint. *Pl. Jun. l. 2. epiſt. ad Cat.* Quod ceſſat ex redditu, frugali-
C tate ſuppletur, ex qua velut fonte liberalitas noſtra decurrit,
quæ tamen temperanda eſt, ne nimia profuſione inareſcat.

* VITIA OPPOSITA.

Pugnantia cum Parſimonia ſunt, 1. Profuſiones, in pom-
pas inanes, veſtes ſplendidas, luxum, ambitioſas ædificatio-
nes, convivia frequentia, indecentia, ſumptuoſiora, mon-
ſtroſa. 2. Nimia tenacitas, ſordities, avaritia planè ruſtica,
turpiſque lucri inſatiabilis cupiditas. 3. Negligentia, & igna-
via in rebus propriis cuſtodiendis, ſuſcipiendiſque tempeſti-
vis laboribus.

* APOPHTHEGMATA.

Xenophontis ſententia vulgò celebratur: Non tam grave
eſſe bona non accipere, quàm acceptis privari. *Stob. ſer. 13.*

Demoſthenes dicere ſolebat plurimos hominum parare
quidem divitias bene conſulendo, nihilque contemnendo, ſed
non iiſdem artibus ipſa conſervari poſſe. *Stob. eod. ſerm.*

Auguſtus Cæſar deridere ſolebat Alexandri Macedonis di-
ctum, qui ad conſodales ſuos frequenter dictitabat, nihil ſi-
bi à Philippo patre relinqui, quod ageret: Nec quidem im-
D merito derifit adoleſcentis ſtultitiam, qui non contentus erat
regionibus à patre ſubactis, ſed ipſe quoque bello plures ſibi
parare ſtudebat, ignorans præcipuam curam eo refendam eſ-
ſe, non ut multa poſſideamus: ſed ut jam parta tueamur. Non
minor enim (ut ille ait) virtus eſt, quàm quærere, parta tueri.
Plut. in Rom. apoph.

Socrates Æſchinem, qui premebatur inopia, ſolebat admo-
nere, ut à ſeipſo ſumeret mutuum, ſive uſuram παρὰ ἑαυτῷ
δανείζεσθαι, & addit modum, ſibi ipſi ſubtrahendo cibaria
juxta illud, *Magnum vectigal parſimonia.* Expeditiſſima ratio
eſt augendi cenſum, detrahere ſumptibus. *Eraſ. 3. apoph.*

Democritus, qui parci præter modum ſunt, inſtar apicula-
rum, inquit, operantur, tanquam perpetuò victuri. *Stob.* Idem,
Parſimoniam, & eſuriem bonam eſſe dicebat: ſuo autem tem-
pore ſumptus etiam. Porrò (inquit) vir bonus hæc diſcernet.
Stob. Idem, Stolidos parcorum filios, ubi quid à patria illa con-
ſuetudine tenaci, & exquiſita deciderint, perire dicebat: non
in unico gladio, ubi pedibus niti debebant, interiunt. *Stob.*
ſerm. 16. Idem, Vitam nimis parcam, & ſine feſtivitatibus,
longam viam ſine diverſoriis eſſe dicebat. *Eod. ſerm.*

Stratonicus muſicus interrogatus, quinam eſſent in Pam-
phylia miſerrimi? Phaſelitæ, inquit, ſed addebat, in toto orbe E
miſerrimos eſſe Sidetas. Utraque gens eſt in Pamphylia, Pha-
ſelitarū ſordes proverbio notatæ ſunt, Phaſelitarum ſacrificiū,
quòd falſis piſciculis ſacrificarent. Bis miſeros dixit parcos.

Alexander, cum hyeme, frigidoque cœlo apud amicum
quendam convivio exciperetur, videretque foculum exi-
guum, & ignis puſillum: Aut ligna, inquit, infer, aut thus.
Subnotans convivatorem lignis ſuis parcere, perinde quaſi
thus eſſent, ſimul ſatis eſſe ignis ad faciendum, ſuffitum diis,
at parum ad depellendum frigus. *Plut.*

Bithus *paroſitus*, cum Lyſimachus rex veſti ipſius curaſſet
affigendum ſcorpium ligneum, aut (ut Plutarchus ait) rubetā,
pulchrè aſſimilatum vero, perturbatus reſiluit. Ridentibus
omnibus, ubi dolum ſenſit: Et ego, inquit, te viciſſim terrebo,
Rex. Cum ille dixiſſet: Fac: Da mihi, inquit, talentum: expro-
brans Regi ſordes, & parſimoniam. *Eraſ. lib. 8.*

Gnathæna, cum quidam vini paulum infuſiſſet in pſyſte-
rium (id eſt, vaſculi genus refrigerando vino paratum) dice-
retque hoc vinum ſedecim annorum eſt. Puſillum eſt, in-
quit, pro tot annorum ætate. *Hoc ipſum aſcribitur Phrynæ.*
Eraſ. lib. 6. apoph.

Servus quidam ab hero Chio negotiatore profugerat. Ro- F
gatus cur fugiſſet. Quoniam, inquit, cum adſint bona, mala
quærit. Solet enim herus ille vinum muſtum primæque ſua-
vitatis vendere, ipſe interim non bibens niſi ſubacidum, ac
vapeſcens. *Eraſ. lib. 6. apoph. ex Plut.*

Theocritus multos divites non dominos rerum ſuarum, ſed
tutores eſſe dicebat. *Stob. ſerm. de parcitate.*

Euſebius, Virum, qui magnas opes reconditas habuerit,
nec aliam ob cauſam, quàm ut reponat, conquirentem, quo
ſemper aliquid præſentibus addat, & ſi locupletem, nihil ta-
men neque ſui, neque alterius utilitatis gratia inſumentem,
haudquaquam divitem, eſſe dicebat, ſed parandis natum, qui
ſæpenumero ſibi labores creet, & res nihil ad ſe pertinentes
augeat. *idem ibi.* Idem.

Vir, cui magnæ ſunt opes reconditę, quibus pro ſuo arbitrio
ad res neceſſarias uti non audeat, ſimilis eſt ærario quæſtori
publicum theſaurum ſuum eſſe perſuaſo. Quantū enim ad opi-
nionem, ex æquo uterque dives eſt. Uſum vero divitiarum, qui
proprius eſt poſſidenti, non hic magis quàm ille habet, *ibid.*

Lucians dictum eſt.

Ὡς πεδνεύζομενος ὅβρι σὺν ἀγαθῶν ἀπόκειται, G
Ὡς δὲ βιωσίμενος, φείδεο σῶ κοπάνων,
τί δ' ἀνὴρ σοφὸς ὅτος, ὃς, ἄλφα πάντα νοήσας,
φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφαρμόσατο,

Tamquam moriturus tuis bonis fruere:
Tamquam autem victurus parce tuis poſſeſſionibus,
Eſt autem vir ſapiens hic, qui ambo hæc cognoſcens,
Parſimoniæ, & ſumptus menſuram aptavit.

Quod Thomas Morus ita reddidit verſibus elegiacis.

Utere divitiis, tanquam moriturus, & idem
Tamquam victurus parcito divitiis,
Parcere divitiis qui tempore novit, & uti,
Ille modum ſervans inter utrumque ſapit.

PARSIMONIA SUMPTUARIA.

Impendia, ſumptuſque parci in genere.

Celeus, rex Eleuſine, pater Triptolemi, cui Ceres, quòd eſſet
ab illo excepta hoſpitio, cōmonſtravit omnē agriculturę ratio-
nem, ut in reliquo victu, ſic etiam in ſupellectili frugaliſſimus:
ita ut in prover. abierit, Celei ſupellex. De eo *Ovid. l. Faſt.* 4. H

Sors ſua cuique loco eſt: quæ nunc Cerealis Eleuſis
Dicitur, hic Celei rura fuere ſenis.
Ille domum glandes, excuſſaque mora rubetis
Portat, & arſuris arida ligna focis,
Filia parva duas redigebat monte capellas,
Et tener in cunis filius æger erat.

Pericles cum continuum in annuis magiſtratibus imperium
& arbitrium obtinuiſſet per annos XL. animum tamen præſti-
tit à pecunia invictum: non negligens alioquin rei familiaris,
immò paternas, & juſtas facultates, ut nec inertia dilaberētur,
nec multum interpellarent, vel diſtinerent occupatum: certa
ratione, quàm cenſebat expeditiſſimam, & exactiſſimam diſ-
penſavit. Quippe annuos fructus ſimul omnes diſtrahebat: in-
de neceſſaria quæque mercabatur ex foro, atque ita vitam, vi-
ctumque quotidianum procurabat. Unde parum jucundus fi-
liis erat jam adultis, nec ſplendidè mulieres habebat: quæ ægrè
ferebant, quòd ita viveret in diem, & ſumptus ita ad unguem
circumcideret: ubi, ut par erat, ampla in domo, & opibus af-
fluentibus, nihil efflueret, verum omnes impenſæ, omnia emo-

lumenta

lumenta certo eſſent numero, & modo conſtituta. Hujus tam exquiſitis rationibus unus ſervus moderabatur Evangelus; præclara ſupra cæteros indole prædituſ, aut à Pericle ad domeſticam inſtitutus diſciplinam. *Plutarchus in Pericle.*

M. Cato Coſ. bello, quod in Hiſpania citeriore geſſit, habebat ſervos quinque: horum enim nomine Pacus tres pueros emit de manubiis. Quod ubi reſcivit Cato, prius quàm in conſpectum ejus veniret, ſtrangulavit ſe: pueros Cato ſub haſta vendidit, pretiumque retulit ad quæſtionem. Provinciam fortitus Sardiniam cum ſuperiores prætores accipere publicè tentoria, lectos, togas ſoliti eſſent, magnoque famulitio, caterva amicorum: ſumptuque & paratu cœnarum onerarent provinciales: ille diſparitatem incredibilem fecit frugalitatis, nulla enim in re impenſa publica indiguit. Oppida ipſe ſine vehiculo pedibus obibat, unus ſequebatur accenſus, qui ei veſtem, & cymbium ad libandum portabat. Ferebat per expeditiones ipſe in agmine arma, ſervus eum ſequebatur unus, qui cibaria ejus portabat: cui dicitur prandium vel cœnam apponenti nuſquam ſuccenſuiſſe, ac objurgaſſe, immò expletis muneribus militaribus, cum ipſe adjuviſſe ferè, atque unà manum admoviſſe. *Plut. in Catone, & in Apopht.*

Victus M. Antonini Pii talis fuit, ut eſſet opulentia ſine reprehenſione, parſimonia ſine ſordibus, & menſa ejus per proprios ſervos, proprios aucupes, piſcatores & venatores inſtrueretur. Balneum, quo uſus fuiſſet, ſine mercede populo exhibuit: nec omnino quicquam de vitæ privatæ qualitate mutavit. *Cap.*

Albertus Magnus, Philoſophus doctiſs. Epiſcopatum Ratiſponenſem conſecutus, æs alienum, ſuperiorum Pontificum luxu contractum, brevi diſſolvit, parſimonia loco ampliſſimi vectigalis uſus. *Hier. Ziegl. de Viris illuſtr. Ger.*

IN TEMPLA.

Paula Romana, vidua ſanctiſs. nolebat in lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra & ſeculo tranſituri ſunt: ſed in vivis lapidibus, qui volvuntur ſuper terram, de quibus in Apocalypſi Joannis civitas magni regis extruitur: quos in ſaſphyrum, & ſmaragdum, & jaſpidem, & cæteras gemmas eſſe vertendos, Scriptura commemorat. *Hieron. in Epitaph. ejus.*

IN SACRIFICIA.

Antiſſeus, cùm civitas indigeret pecuniis, & cives conſueviſſent ſplendidè celebrare Dionyſia, in quibus varia, & multa conſumebant quotannis, atque præparabant: perſuaſit illis, ut Baccho voverent, duplum ſequenti anno ſe daturos: illa autem congregantes, vicinis urbibus venderent. Quæ cùm ita feciſſent, collectæ ſunt pecuniæ ad eorum uſum non modicæ. *Ariſt. in Oecon.*

Socrates ſacrificia volebat quàm minimis impendiis conſtare: quòd dii, ut non egent rebus hominum, ita magis ſpectant affectus immolantium, quàm divitias. Alioqui cùm improbiſſimi quique maximè abundent divitiis, actum eſſet de rebus humanis, ſi malorum potiuis quàm bonorum victimis delectarentur. Eoque verſu Heſiodi magnopere probare conſuevit: καὶ δῶρον ἁμῶν ὦ ἔρδεν ἷσ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Hoc dictum & ad nos Chriſtianos pertinet, qui immodicis impendiis ornamus templa, gratius factuti Deo, ſi quod ultra frugalem munditiem ſupereſt, fratribus egenis erogaremus. Eandem frugalitatem adhibendam docuit in excipiendis hoſpitibus, eodem utens verſiculo. *Eraſ. lib. 3. Apoph.*

Apud Romanos immolatarum hoſtiarum exta ad queſtores ærarii delata veniebant, ſacrificiiſque Pop. Rom. tum deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat: Imperatoribus, quàm ſacras manus habere deberent, apud iſta altaria diſcentibus: continentiæque tantùm tribuebatur, ut multorum æs alienum, qui provincias ſincerè adminiſtraverant, à Senatu perſolutum ſit. Nam quorum opere rempublicam, auctoritatem, ſplendoremque ſuum procul obtinuiſſe viderant; eorum dignitatem domi collabi indignum, ſibique deforme eſſe, arbitrabantur. *Val. Max. lib. 2. c. 1.*

L. Papyrius Coſ. adverſus Samnites dimicaturus, victori Jovi pocillum mulſi pro re magna votum feciſſe dicitur. Bibebant enim murinum, aut paſſum, ſapam, aut defrutum, aliaque ejus generis potu dulcia. *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.*

IN LUDOS, ET SPECTACULA.

Circenſes ludos primus Romæ fecit Romulus, quarto menſe ab Urbe condita (ut ſcribit Fabius Pictor) quo die Sabinas rapuit. Longius tempus alii tradunt: quòd magis crediderim. Circenſes dictos ſcribit Servius, quòd enſibus circumdarentur. Nam cùm rudis vetuſtas non loco hujuſmodi ludis apta ædificaſſet, inter enſes, & flumina eos agebat, ut ignavis utrinque præſens eſſet periculum. Poſtea Tarquinio Priſco rege locus eſt deſignatus Circo, qui poſtmodum Maximus eſt dictus.

M. Favonio ædili creato cùm in cæteris magiſtratus muneribus præſtò fuit M. Cato minor, tanquà amico, tum ludos ejus in theatro curavit, deditq; coronas thymelicis non aureas, ſed ut Olympiis ex oleaſtro: dona loco magnificorum, Græcis betam, lactucam, raphanum; pita: Romanis vini amphoras, carnem, ſuillam, ficus, cucumeres, lignorũ faſciculos, quorũ utilitatem alii irridebant, alii oblectabantur, Catonis auſteritatem, & cõtractionem videntes tranſire ſenſim in remiſſionem. Poſtremò Favonius immiſcens ſe plebi, atque inter ſpectatores confidens, plauſit Catoni: ac donaret, honoraretque merentes clamavit: teſtatuſque ſpectatores eſt, in illius poteſtate ſe omnia poſuiſſe. In altero theatro collega Favonii Curio ſplendidum exhibebat munus. Spectatores tamen relicto illo huc tranſierunt, applauſeruntque effuſè agenti Favonio, & Catoni agonotetæ. Hæc deſignavit Cato, quò ei rei obtrectaret, docerètque ludentem oportere ludo uti, ac benignitate potiùs defungi communi, quàm apparatibus, & ſumptibus, in rebus nihili magnas curas, & ſollicitudines ponentes. *Plut. in Catone.*

Henricus III. Imp. uxore ducta Agnete, Aquitaniæ ducis Gulielmi filia, & nuptias celebraturus in Ingelhem, cùm immenſa hiſtrionum, & mimorum affluxiſſet multitudo, omnes licèt famelicos abegit, & in eorum locum pauperes, & egenos accerſivit. *Crantzius lib. 4. Metropol. cap. 33.*

IN POMPAS FUNERUM, TRIUMPHORUM, &c.

Gelo rex Syracuſanus abſque ſplendore funeris ſepultus eſt. *Vide Tit. Regnum, qui ſe legibus ſubiecere.*

Socrati, cicutam bibituro, Appollodorus pretioſum pallium obtulerat, ut eo indutus moreretur. At ille recuſans donum: Quid, inquit, hoc meum pallium, quòd viventi convenit, mortuo non conveniet? *Eraſmus lib. 3. Apoph.*

M. Æmilius Lepidus, princeps ſenatus decedens, præcepit filiis, ut ſine linteis, ſine purpura, & tibicine funus ſibi facerent. Et Atticus Pomponius, multique clari viri ſine pompa funeris efferri voluere. *Alex. 3. cap. 7.*

Romanæ mulieres ſtolas in luctu candidas, vittaſque candidas olim ferebant. Nam tenuitas in hiſce potiſſimùm, & ſimplicitas decet. Infecta autem referunt partim luxum, partim curioſitatem. Neque enim minus eſt de atro quàm de purpureo dicere, Fucatæ veſtes, fucati & colores. Nam ſua ſponte quod atrum eſt, non ab arte, ſed à natura tinctum, miſtumque umbroſo temperatur. Unum ergo album eſt ſincerum nec confuſum, ſed defecatum infectura, nec fucatum, candidum: ita eſt iis, qui eſſeruntur, accommodatiſſimum. Siquidem mortuus evaſit ſimplex quiddam, atque à contagione liquidum, corpore, ut veneno inficiente liberatus. Argis ferunt in luctu candida ut Socrates ait, aqua abluta. *Plutarch. in quæſt. Rom.*

Numæ regis Poſthumia lex eſt: Vino rogum ne reſpergito. Quod ſanxiſſe illum propter inopiam rei nemo dubitet. *Plin. lib. 14. cap. 12.*

M. Æmylius, qui princeps ſenatus ſexies fuerat, vita decedens, filiis mandaſſe fertur, ut lecto, purpura & linteis nudo ſuum efferrent corpus, in funus haud plus denos æris inſumerent imaginum ſpecie, non ſumptibus, funera nobilitari ratus. *Sab. l. 8. Enn. 5.*

IN EXERCITUM.

L. Lucullus, cùm Senatus ei ad claſſem parandam tria millia talentorũ decreviſſet, negavit per literas ea pecunia ſibi opus eſſe, jactans ſine ſumptu, & tanto apparatu Mithridatem ſe ſociorum navibus exactùrum pelago; quod Dei ope præſtitit. *Plut. in Lucullo.*

M. Cato Cenſorius quæſtor cum P. Scipione ad bellum in Africam miſſus, immodicos ſumptus P. Scipionis in milites reprehendit: eoque nomine eundem apud Patres accuſavit, *Plut. in Cato.*

IN NUPTIAS.

Claudius Cæſar filiam unam L. Junio Sillano, alteram Cn. Pompejo Magno deſpondit, nullo immodico apparatu. Nam & ipſe diebus illis jus dixit, & Senatus convenit. *Sueton.*

IN CONVIVIA, ET ALIMENTA.

☞ *Voluptatum corporis veluti redemptor eſt pecunia. Et propterea Frugalitas in conviviis, quoad Sumptum, ſpectat ad Liberalitatis locum, quoad Voluptatem, quæ percipitur ex alimento, Temperantiæ propria eſt.*

Cùm expeditionem feciſſent Ægyptii contra Ochum Perſarum regem, atque rex eorum captus eſſet: benignè admodum ad cœnam eum Ochus invitavit. Cùmque apparatus ſplendidus factus eſſet, riſit Ægyptius, quaſi parcè viverent Perſarum reges. At ſi vis, inquit, ò Rex, quo pacto potẽtiſſimos reges vivere oporteat, cognoſcere, impera meis coquis, ut Ægyptiã cœnam parent. Ochus ea cœna deguſtata: Jam te malũ inquit, ò Ægyptie, malè dii perdant, quando cœnas hujuſmodi relin juens, convivium appetiſti frugalius. *Athen. l. 4. c. 10.*

Xerxes re malè geſta ad Salaminam, dum è Græcia fugit, omnem apparatum ſuum ex auro, argentoque, & peripetaſmatis Mardonio præfecto reliquit. Quo ad Platæas occiſo, Pauſanias Lacedæmoniorum rex, cum eum apparatum vidit in cõgeſta præda, juſſit piſtores, & coquos, cœnam ſibi, uti Mardonio inſtruerent. Quo facto, tum Pauſanias lectos intuens aureos, argenteoſque probè inſtratos, menſas etiam aureas, & argenteas, magnificumque cœnæ apparatum, imperavit per jocum ſuis miniſtris, ut Laconicam inſtrucrent cœnam. Id cùm illi feciſſent, accerſivit Græcorum duces, & ridens dixit: Hac ego vos de cauſa convocavi, ut amentiam Medorum ducis intelligeretis, qui cùm talem vitam duceret, ad nos ſubigendos venit, qui tam miſerè victitamus. *Herod. lib. 9.*

Antiphanes apud Athenæum lib. 4. facit quendam quærentem de frugalitate Græcorum, qui paululùm carnium apponerent, cùm majores ſolerent totos boves, cervos, & arietes aſſos apponere. Quin & regi Perſarum coquum, totum camelum aſſum, atque etiamnum calidum appoſuiſſe. *Eraſ. in Adagiis.*

Οὐ βοῶν πάρεστι σώματ᾽, οὔτε χρυσὸς, οὔτε πορφύρεοι πάπητες εἰπεῖ δυμὸς ὑμῶν, μόνα τεγλυκέα, καὶ βοιωτόσιν ὑν σκυφόσιν οἶνος ἡδύς. id eſt: Non habeo boum corpora, neque aurum, neque purpureos tapetes, ſed animum benevolum, dulcem muſicam, & Bœoticis in poculis (infuſum) vinum dulce, inquit Bachylides, Jovis filios Pollucem, & Caſtorem invitans. *Apud Athen. lib. 11.*

Athenæus in ſecundo tradit, Iberos, cùm eſſent opulentiſſimi, tamen ob parſimoniam ſemper ὑδροποτεῖν ſolitos, & μονοσιτεῖν, hoc eſt, aquam bibere, & ſemel in die cibum capere: cæterum veſtitu fuiſſe ſumptuoſiſſimos. *Citat hoc ex Athenæo Stephanus, Eraſmus in Adagiis.*

Horatius veterum Rom. frugalitatem in Sermonibus celebrat, *lib. 2. Sat. 2.* inquiens:

Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia naſus
Illis nullus erat: ſed credo hac mente, quòd hoſpes
Tardiùs adveniens vitiatum commodius, quàm
Integrum edax dominus conſumeret ——

Romanis probroſum cenſebatur alienis veſci. Proinde ferebant ſinguli, quod ederent, ac biberent, quò non dicerentur ἀλλοτριοφάγοι. Hinc tollendæ ignominiæ cauſa Romulus, quòd cum fratre ab Laurentia foret educatus, Brumalia inſtituit, quibus convivio excipiebatur Senatus, cùm neceſſarium diceret, ab rege ſuo ali ſenatum hyeme, nullis obſtrepentibus bellis. *Cælius lib. 27. c. 24. A. L. ex Suida.* Apud Helvetios ſimiliter etiamnum hodie ea convivandi ratio viget, veteris frugalitatis index, ut qui ad convivium accedunt patresfamilias, licèt vocati, panem, & vinum ſecum ferant. Etſi hic mos ſenſim cum victus parſimonia obliterari incipit.

M. Craſſi menſa, cùm quos ad cœnas invitaſſet, civilis erat, & popularis. At habebat munditiem, & comitatem jucundiorem hæc frugalitas ſumptuoſa. *Plut. in vitis.*

M. Cato ſcripſit, vinum in prætura, & conſulatu idem, quod & operas bibiſſe, epulas ad cœnam ex foro triginta comparaſſe aſſibus, idque facere reip. cauſa, quò corpus ſuum eſſet ad perferendam militiam robuſtum. *Plut.*

Auguſtus Imp. utebatur conviviis cœniſque moderatis, ſine nimio ſumptu. Convivabatur ſæpè, alacri comitate omnes aſſidentes provocans: minimi enim erat cibi, & vulgaris, vini autem parciſſimus: nam temperanter, raròque bibebat. Si tamen ſitis urgeret, perfuſum aqua frigida panem, aut fructus aliquos edebat. *Suetonius.*

IN LUCERNAS.

Nicolaus Cuſanus Cardinalis in cœna etiam lucernis oleo infuſo candelarum loco utebatur. Quod æmulis reprehendendi anſam dedit, quaſi piaculum foret Apoſtolorum imitatorem ad lucernas cœnare. *Hieron. Garimbertus lib. 3. de Vitis Pontificum.*

IN VESTIMENTA.

☞ *Parſimoniam ſumptus hic ſpectamus in veſtitu tenui. Quatenus verò ille idem luxuriæ occaſionem amputitur, ad Temperantiæ locum pertinet. Exempla non pauca* ex Tit. Eremitarum, & Monachorum peti poſſunt.

M. Cato veſtem nunquam induiſſe ait ſe, quæ pluris eſſet centum denariis. *Plutarchus.*

Antiquorum frugalitatem in familia alenda, inde quis colligat, quòd uxores etiam regum olim coquinariam exercebant. *Herod. lib. 8. apud Euripidem in Helena.* Protei Ægyptiorum regis janitrix eſt anus, Menelaum naufragum ſtipem petentem excipiens.

Palamedes Argivus, vir ſapientiſſimus, ad Trojam navigans, abſque ſervo, & ancilla, cùm Achilles ad eum dixiſſet: Rudior plerique, ò Palamedes, videris, quòd qui tibi miniſter in bello, neminem adduxeris: tum ille ambas protendens manus: Quid ergo hæc, ò Achilles? reſpondit. *Philoſtratus.*

Phocionis Altera uxor non minus caſtitatis nomine, & frugalitatis fuit Athenis celebrata, quàm ob probitatem Phocion. Spectantibus autem aliquando novos tragœdos Athenienſibus hiſtrio, qui proditurus erat in ſcenam, perſonam popoſcit choragum reginæ, ac multas eximiè cultas pediſſequas. Non præbente illo, ſtomachabatur, tenebatque ſuſpenſum theathrum, progredi abnuens. At choragus Melanthius protrudens eum in medium clamavit: Non cernis Phocionis uxorem unà cum ancilla ſemper incedentem? Tu verò inſolens es, pervertiſque mulieres. Hanc vocem exauditam excepit theatrum ingenti plauſu, & ſtrepitu. *Plut. in hoc.*

M. Curius Dentatus, cùm à Samnitum legatis adiretur, rapa ſibi parare obſonium inventus eſt: cui duo calones in caſtris fuiſſe aſſerunt, cùm ſummam imperii gereret. M. verò Antonio conſulari octo ſervos, Carboni ſeptem ſolùm miniſtraſſe. *Alex. lib. 3. c. 11.*

P. Scipio junior, cùm legatus mitteretur ad Carthaginenſes, unum tantùm comitem Panetium Philoſophum, & amicum ſecum habuit, & famulos quinque: quorum uno in peregrinatione defuncto, alium emere noluit, ſed è Roma unum in defuncti locum accerſivit. Potuiſſet Scipio multis comitatus vitris & ſervis legationem ſuam abſolvere pro Romanorum conſuetudine. Verùm ne cæteris oſtentationis, & ſuperbiæ exemplum eſſet: his contentus, Reipublicæ negotia expedire voluit. *Plut. in Rom. apoph. Poſidon. Polyd. Athen. lib. 6. c. 8.*

Idem ad orbis terrarum componenda regna miſſus à ſenatu Rom. quò cuique ſua tribueret, poſt duos inclytos conſulatus, totidemque triumphos, ſeptem tantùm ſervis ſequentibus officio legationis functus eſt, cùm ex Carthaginis, & Numantiæ ſpoliis plures ſibi comparare potuiſſet, niſi operum, & factorum ſuorum fructum ad patriam redundare maluiſſet. *Val. Max. l. 4. c. 3. Plin. c. 58. de Viris illuſt. Alex. lib. 1. c. 18.*

Ennius poeta, qui primus Latiorum heroica attigit, in Aventino domuncula, & unius ancillæ miniſterio contentus fuit. *Alex. lib. 3. cap. 11.*

M. Cato mancipium nunquam plus mille quingentis denariis emit: quòd nec molles, nec formoſos, verum operoſos, & valentes, ut equiſones, & bubulcos, quæreret: quos, ubi conſenuiſſent, venundandos putabat, neque alendos inutiles. *Plut. in Catone.*

Cùm M. Cato Coſ. bello, quod in Hiſpania geſſit, ſervos quinque haberet: quæſtor in Sardinia unico accenſo contentus eſſet, in expeditionibus ipſe arma ferret, ſervus unus cibaria: multùm à priſca continentia ſpatio annorum poſterior Cato deceſſit, utpote in civitate jam divite, & lautitia gaudente natus: is tamen cùm bellis civilibus intereſſet, filium ſecum trahens, duodecim ſervos habuit: numero plures, quàm ſuperior, temporum diverſis moribus pauciores. *Val. l. 4. c. 3.*

C. Julius Cæſar, qui primus omnium hominum in inſulas Britannicas cum mille ſcaphis penetravit, tres domeſticos omninò ſecum adduxit, velut Cotas eſt auctor, qui tunc ſecundum locum in caſtris obtinebat, in commentario ſuo de Romanorum republica. *Athen. lib. 6. cap. 8.*

Alexander Severus Imp. curſore nunquam utebatur, niſi ſervo ſuo, dicens, ingenuum non currere niſi in Sacro certamine non debere. Cocos item, piſcatores, fullones, & balneatores non habuit niſi ſervos ſuos: nolens quenquam ingenuum ſordidis miniſteriis dehoneſtare, *Lampridius.*

Julianus Imp. cum eunuchis, & coquis ſervos etiam ex palatio ejecit. Rogatus verò cur id faceret? ait: His non opus eſſe, cum minori ſumptu vivere poſſet. *Eraſ. lib. 8. Apoph.*

Innocentius VI. Papa impenſam domeſticam, quæ magna erat, imminuit, familiam ſuam ad certum, & honeſtum redigens numerum: nec domi voluit niſi vitros habere probatiſſimos. Idem ut faccrent Cardinales, acerrimo edicto mandavit, dictitans ſuam, ac omnium Eccleſiaſticorum vitam cæteris exemplo eſſe debere, ad imitationem Salvatoris noſtri; cujus

cujus tota vita ad institutionem humani generis respexisset.
A *Platina.*

Franc. Petrarcha famulitio modico usus, servorum multitudines inquietum hominem facere ajebat. *Hier. Squarzaficus in ejus vita.*

IN EQUOS.

Israelitarum regibus multitudo equorum interdicta fuit à Domino, ne propter equorum studium populus reduceretur in Ægyptum equorum feracissimam, & cum Ægyptiis conversaretur. *Deut.* 17.

M. Cato equum, quo in expeditionibus consul usus fuerat, ne Reipub. imputaret naulum, reliquit in Hispania. *Plut. in Catone.*

IN SUPELLECTILEM TAM
Sacram, quàm Profanam.
Tum
IN GENERE. SUPELLEX FRUGALIS,
Parca, Pauca.

Scythica narratur supellex, jugum boum, aratrum, sagittarum pharetra, quibus cum amicis utantur, & adversùm inimicos. Adiici, & quo vectantur, currus potest: sunt enim ἀόικοι, hoc est, domibus nullis, qua in re, vel nimium sibi placent, quòd solari quadam circumvectentur imagine. *Cælius lib.*23.*c.*10. *A.L.*

Arabibus totum familiæ censum una implet tenuis supellex, quæ nobili ejus Numidico, lancea, & jaculis constat. In mundo muliebri, neque aurum, neque argentum visitur: sed lanea virgata vestis, & pro geniali thoro ex centone levis culcitra: primores tantum argentum vermiculato opere fabrefactum, pictumque in phaleris gestant: argenteafque item bullas collo suspendunt, quas incluso amuleto Thaheles vocant, quarum præsidio adversùs pericula se probè munitos arbitrantur. *Sab.supplem.lib.*8.*ex Jovio.*

Hellanicus in Denominationibus, quosdam esse ex Lybicis Nomadibus scribit, qui nihil aliud possideant, quàm calicem, cultum, & hydriam; quodque domos habitant ex culmis, confectasque perexiguas, quantæque faciant ad arcendas temporum injurias, quas etiam circumferunt, quocumque proficiscantur. *Athen.lib.*11.*c.*1.

Sardolibyes aliud vas, aut instrumentum non possident, præter calicem, & gladium. *Ex Nicolao de Moribus gen. Stob. Ser.* 42.

C Epaminondas dux Thebanorum, in supellectili sua præter ahenum, & veru unicum nihil habuit. *Frontinus lib.* 4. *c.* 3.

Socrates per forum obambulans, cùm aspiceret mercium copiam, quæ illic vendebantur, ita secum loqui consueverat: Quàm multis rebus ego non egeo. Alii cruciantur animo, ita cogitantes: Quàm multa mihi desunt. Socrates sibi gratulabatur, quòd juxta naturam vivens, ac paucis assuetus, aurum, purpuram, gemmas, ebur, aulæa, reliquasque divitum delicias nec cuperet, nec egeret: quasdicere solebat magis necessarias agendis tragœdiis, quàm ad usum vitæ. *Bruson. lib. cap.*22. In hanc ergo sententiam usurpabat versus Jambicos poetæ nescio cujus.

Τάδ' ἀργυρώματ' ἐστὶν, ὅτε πορφύρα,
εἰς τὼς τραγῳδὼς χρῆσις, ὐκ εἰς τὸ βίον. *id est,*
Argentea est hæc vasa simul, ac purpura,
Tragœdiarum accommoda histrionibus
Sunt, ad beatam conferunt vitam nihil.

Laertius libro secundo.

In eandem ferè sententiam *Horatius*, quoque in præclara
D illa epistola ad Julium Florum, sic inquit.

Aurum, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Getulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant. Est qui non curat habere.

De Diogene Cynico *Ausonius* sic scribit:

Pera, polenta, τρίβων, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici: sed putat hanc nimiam.
Namque cavis manibus cernens potare bubulcum,
Cur scyphe te, dixit, gesto supervacuum?

Ptolemæus Lagi F. apud amicos cœnitare assuetus, sæpè etiam dormire, si quandoque illis reponeret, vasa commodato ab eisdem sumere non verebatur: stragula item, ac id genus alia plura: quòd ipse in domestica supellectile nil admodum præter necessaria haberet, οἰκὰ δ' πλωτὰν ἔλεγε τὸ πλοιάζειν οἴνεα βασιλικώτερον. Nam ditare, quàm ditari, magis videri regium asseverabat. *Plut. in Apoph.*

Augusti Cæsaris instrumenti, & supellectilis parsimonia apparet etiam nunc: residuis lectis, atque mensis, quorum pleraque vix privatæ elegentiæ sint. Ne thoro quidem eubuisse ajunt, nisi humili, & modicè instrato. *Suetonius.* E

Matthiæ Corvino Ungariæ regi nulla domi gemmata pocula, nullis atria aulæis vestita: nullus, vel certè rarus, & is incultus, ac rudis apparatus: sordidæ in quadra mensa mappæ, cultus omnis ad equos, & arma translatus: ibi aurum, gemmas & argentum gestare mos erat. *Bonfin.l.*7. *Dec.*4.

IN SPECIE. SUPELLEX.
SACRA.

Alexander Severus Imp. teste Lampridio in templis nunquam præter quatuor, aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem, aut bracteolam posuit, identidem versum Persii repetens, in sacro, quid facit aurum? idem in conviviis suis aurum planè nescivit. *Pontanus cap.*2. *de Splendore.*

PROFANA, CUJUSMODI SUNT.
Vasa.

Priscos ex bovinis carnibus, quæ κέρατα dicuntur, bibere solitos perhibent, unde & cornutus Dionysius fingitur, & taurus ex compluribus poetis nuncupatur, atque taurina facie conspicitur in Cyzico, hinc verbum κερατοῦσθαι, & F κεράσαι, pro eo quòd est vinum aquæ miscere: & vas ipsum, in quo vinum miscetur, Craterem appellant, quasi ceraterem, quoniam potus in cornu infundatur. Nostris etiam temporibus cornuum apparatum cernitur, quæ rhyta nonnulli appellant, atque poetarum complures antiquos inducunt ex cornibus bibentes. *Athenæus lib.* 11. *cap.* 18.

Polemon *apud Athenæum lib.* 11. *cap.* 10. tradit, ad ipsius etiamnum ætatem Græcos quosdam bibere solitos ex fictilibus: velut Argivos in publicis conviviis, ac Lacedæmonios in Phiditiis festis, aut epiniciis, aut nupciis virginum. *Eras. in Adagiis.*

Agathocles, tyrannus Siculorum, nunquam sine fictilibus (memor paternæ obscuritatis, quòd figulo patre genitus fuerat) cœnavit: adeò quidem, ut inter vasa aurea, figulina semper admiserit. *Alex.l.*5. *c.* 21. *ex Diodoro.*

C. Fabricius Censor, ne duces plusquam pateram, & salinum ex argento in castris haberent, & milites vasis ligneis tantùm uterentur, edixit. *Idem lib.*2.*c.*29. *ex Plut.*

Carthaginensium legati, cùm Romæ apud omnes eodem argento cœnitavissent, dixisse feruntur, Nullos hominum inter se benigniùs vivere, quàm Romanos. *Plin.* G *lib.*33.*c.*11.

M. Curius Dentatus, cùm interversæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium protulit, juravitque se nihil amplius de præda hostili in domum suam convertisse. Si jurejurando Curii actio decisa fuerit, aut aliis etiam rationibus, non constat. *Idem de Viris illust.*

Ælius Catus, cùm legati Ætolorum in consulatu prandentem in fictilibus adissent: missa ab his vasa argentea non accepit, neque aliud habuit argenti ad supremum vitæ diem, quàm duo pocula, quæ L. Paulus socer ei virtutum devicto Perseo rege donasset, *Plin.lib.*33.*c.*11.

Constantius Chorus à Diocletiano adoptatus, Magni Constantini pater divitiarum contemptor, & modici cultus fuit, ut etiam à fictilibus non abhorreret. Quoties enim feriatis diebus epulum dabat, vasa argentea ab amicis accipiebat mutuò, ut abacum exornaret, & trieliniа sterneret, itudens divitiis provincialium, ac privatorum, non fisco. Solitus dicere. Melius esse publicas opes à privatis haberi, quàm uno claustro detineri fruftrà, *Cuspin. A.D. ex Suida, & Eutropio.* H

D. Augustinus vestitu mundo usus est, nec sordido, nec nitido nimium. Cochlearia argentea erant: cætera vasa omnia testacea, lignea, aut marmorea. *Possidonius c.*22.

Stragula.

M. Cato superior, qui Celtiberos, Hispaniæ populos robur provinciæ, secundis prælиis fregit, cum totam illam provinciam administraret, pellibus hœdinis pro tapetibus usus est. *Val. Max. lib.*4. *cap.*3.

Arma.

Lacones strigilibus utebantur non ferreis, sed arundineis. *Plut. in institutis Laconicis.*

Sellæ.

Lacon, cùm in peregrinatione vidisset homines in sellis curulibus sedentes: abfit, inquit, ut in talibus sedeam sellis, unde non liceat assurgere seniori. In his enim sedebant delicati porrectis cruribus, ac cœlum imminens capiti prohibebat exsurgere. *Plut. in Lacon.*

Turci

Turci, in terra comedentes omnes sedent, nec scamnis, nec
A sedilibus utentes: quadam tamen decenti compositione, multum naturæ ipsi deferentes. Mensam habent ex corio cervino plerumque attonso, ac rotundo, latitudine quinque, aut ampliùs palmarum, cum circulis ferreis, quibus immissa cortigia instar bursæ clauditur, appetitur, & portatur. *Cuspin. A. D.*

IN BALNEA.

Antiquitis in usu erant balneola perangusta, tenebricosa, uti Seneca inquit: neque enim calida videbantur, nisi obscura. Ejusmodi fuisse legimus P. Scipionis Africani balneum apud Linternum. In eo ille horror Carthaginis, cui Roma debebat, quòd semel tantùm foret capta, abluebat corpus laboribus fessum rusticis: quoniam se exercebat opere, terramque ut mos fuit piscis, ipse subigebat. *Cælius lib.* 30. *c.* 17.

IN DOMOS, VILLAS.
POSSESIONES.

Spartæ in campo interjecto inter pontem, & amnem Gnacionem (quem vocant Oenuntem) conciones habebant, ubi neque porticus erant, neque alia structura ulla. Nihil enim ea arbitrabatur Lycurgus ad consilia rectè capienda
B interesse: quin citiùs officere, quòd futiles, & fluxas inani sensu congredientium mentes efficiant: cùm in signa, & tabulas, vel proscenia theatrorum, vel lacunaria fabrefacta, illi, qui ad concionem veniunt, defigunt oculos. *Plutarch. in Lycurgo.*

Agesilai regis clarissimi domum, ab inopi, & privata haud dissimilem fuisse, historiæ testantur.

Lycurgus ferra, & securi januas, fenestras, & fastigia ædium fabricari sanxit, neque omninò instrumentum adhibere aliud: omnia arguta, & exquisita opificia exterminans. *Plut. in quæst. Rom.*

Scandula contectam fuisse Romam, ad Pyrrhi usque bellum annis quadringentis LXX. Cornelius Nepos auctor est. *Plin.lib.*16. *cap* 10.

M. Curius post insignes triumphos in concione dixit, perniciosum esse civem, cui septem jugera non satis essent. Hæc autem mensura plebi post exactos reges assignata fuerat. *Plin. lib.* 18. *cap.*3.

Æliorum familiam, & Tuberonum, cùm decem, & septem ejusdem cognominis forent, modicis ædibus, cum uxoribus,
C & liberis, eosdem lares incoluisse, eundemque agrum Vejentanum arasse, & ex ejus fructu victitasse, legimus. *Alex.lib.*3. *cap.* 11. *ex Livio.*

M. Cato Censorius publicis jam, privatisque opulentus rebus, villas suas inexcultas, & rudes, ne tectorio quidem prædita, habuit; ad annum usque ætatis suæ LXX. & ita de se ipsemet scribit; Neque mihi ædificatio, neque vasculum, neque vestimentum ullum est in manu preciosum, neque preciosus servus, neque ancilla. Si quid est, quo utar, utor: si non est, ego sum, cuique per me uti, atque frui licet. Vitio vertunt, quia multa egeo. At egeo illis, quia nequeunt egere. *Gellius lib.*13. *c.* 22.

Antiquæ Rom. villæ aviaria duo duntaxat habebant: in plano chors, in qua pascebantur gallinæ: & earum fructus erant ova, & pulli. Alter sublimis, in quo erant columbæ in turribus, aut summa villa. Contra nunc aviaria sunt nomine mutato, quòd vocantur ornithones, quæ palatum suave domini paravit, ut tecta majora habeant, quàm tum habebant totæ villæ, in quibus stabulentur turdi, ac pavones. In leporario, præterquam lepusculum è venatione, nihil habebant,
D Neque enim erat magnum id septum, quòd nunc, ut habeant multos apros, ac capreas, complura jugera maceriis concludunt. In tertia parte, quis habebat piscinam, nisi dulcem, & in ea duntaxat squalos, ac mugiles pisces? Quis contra nunc Rhinton non dicit sua nihil interesse, utrum iis piscibus stagnum habeat plenum, an ranis? *Varro lib.* 3. *c.*3.

Cn. Pompii domus ad tertium usque triumphum non magnificentius extructa fuit, quàm privati, & egeni civis. *Alex.lib.* 5. *cap.*25.

Augustus Cæsar habitavit in Palatio: sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate, neque cultu conspicuis: ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, & sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia. Ac per annos amplius XL. eodem cubiculo hyeme, & æstate mansit: quamvis parum salubrem valetudini suæ urbem hyeme experiretur, assiduèque in urbe hyemaret. Si quando quid secretò, aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas, & πτυχῶνα vocabat, huc transibat, aut in alicujus libertinorum suburbanum. Æger autem in domo Meccenatis cubabat. Ampla, & operosa prætoria gravabatur, & neptis quidem suæ E Juliæ profusè ab ea extructa etiam diruit ad solum. Sua verò, quamvis modica, non tam statuarum, tabularumque pictarum ornatu, quàm xystis, & nemoribus excoluit, rebusque vetustate, ac raritate notabilibus: qualia sunt, Capreis immanium belluarum, ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa, & arma Heron. *Sueton.*

Turci simplicitatem ostendunt in ædificiis suis, nullam penitùs habentes delectationem in construendis domibus: licèt sint auro, atque argento ditissimi, superfluitatem tamen esse judicant. Rarò ex lapidibus, frequenter ex lignis domus construunt. Rident itaque mirum in modum Christianos, cum tanta vident ædificia: quæ ideò putant extructa, quasi credant se perpetuò victuros. Nobiliores autem, æstatis tempore relinquentes urbes, in campo sub papilionibus degunt, venationibusque utuntur. Qui verò pecudibus operam dant, nullas penitùs habent domos, sed cum pecoribus terras pro pascuis quærunt: hyeme calidiora, & inferiora loca, æstate superiora: quamvis ditissimi sint auro, tuguriis exilibus contenti: ostendentes se mundi peregrinos. *Cuspin. A. D.* F

IN SEPULCHRA.

Indi operosa sepulchra, ut gravia defunctis, aspernati humili tumulo mortuos suos sepeliunt. *Alex.ab Alex.lib.*6. *cap.* 14.

PARSIMONIA DONANDI, SIVE EN ΔΟΣΕΙ. PARCA DONATIO QUALISCUNQUE.

Duæ sunt personæ, Dantis altera, altera Accipientis. Illius respectu, qui conservat sibi ea, quæ non dat alteri, ad φυλακὴν hujus verò, cui non dantur, ad Parsimoniam in δόσει pertinent. Exempla quædam pete ex Tit. Justitiæ distributivæ, Indignos præmiis non afficere.

ERGA QUOS. NON
dare, Parcè dare.
DIIS.

Lycurgus legislator Spartanorum percontanti, Cur instituisset, ut minutis ac vilibus rebus sacrificaretur? Ne unquam, respondit deficiat nos, quo numen honoremus. Quis non diceret, in solemni deorum cultu magnificentiam, ac splendorem adhibendum? At vir prudens intellexit, nu- G men magis delectari frugalitate, quàm opimis victimis, ne sub religionis obtentu luxus irreperet, aut certè rerum penuria. Deus enim non eget nostris impendiis: amat autem homines, quorum necessitati poterat illis impendiis succurri. *Plut. in Lacon.*

REGIBUS.

Euripides Archelao Macedonum regi hosce versus occinuit:

ὁ βούλομαι πλουτοῦνα δωρεὰ σοῦ πένης.
μὴ μ' ἀφρονα κρίνης, ἢ διδοὺς αἰτεῖν δοκῶ.
Ego diviti nolo donare quicquam inopi.
Ne fatuus videar tibi, vel dans poscere.

Plut. de Ei Delphico, ex Dicæarcho.

FILIIS.

Calphurnius Piso consul, cùm in bello fugitivorum provinciam Siciliam obtineret, quam sexaginta servorum millia occupaverant: re bene gesta, milites omnes, qui strenuam operam navassent in eo bello, militaribus donis donavit: & filium solum, qui fortissimè etiam dimicaverat, & suæ virtutis præclara documenta dederat, munerum omnino fecit expertem. Non æquum esse dicens, à magistratu, è publica pecunia quicquam erogari, quod in se, aut familiæ suæ usum H rediturum esset. *Val. Max. lib.*4. *c.*3. *Livius. Plut. in Crasso, & Orosius lib.* 5.

Phocion missa ab Antipatro per Menyllum munera, nec sibi, nec Phoco filio accipere voluit: Si mihi sim lis erit, inquiens, paternæ ei suffeceerint opes. Sin dissimilis, quo opulentior, eo deterior erit. *Plut. in Phocione.*

Clemens IV. Guido Fulcodii Narbonensis, advocatus consistorialis in Francia, ex uxore duas filias sustulit: inde Narbonensis Archiepiscopus, posteà Sabinensis Cardinalis, tandem Pontifex creatur: Ad eum cùm duæ filiæ, quas ante ex matrimonio susceperat, venissent, fretæ illius opera se matrimonia ex Pontificatus magnitudine consequuturas, illarum postulatis respondit. Pontificibus Romanis filios non esse, neque eis licere, quod suum non esset, propinquis dare. Et propterea contentas debere esse, si fortunas, quas ante Pontificatum habebat, omnes eis reliquisset. Quibus opibus cum conditionem in matrimonio ex sententia sua non invenirent, ambæ sacrarũ Virginum pudicitiam matrimonio præposuerunt.

Nepotem quoque è tribus Canonicatibus, quos habebat
A duos dimittere coegit. *Fulg.lib.4.cap.3. & Egnat. lib.4. c.3. Grantzius lib.9.Metrop.c.* 1. scribit filiarum alteram in monasterium collocasse, triginta librarum parvorum Turonensium dote: alteram maritasse, dote ccc. librarum Turonensium.

MENDICIS.

Thrasillo Cynico ab Antigono drachmam petente: Id verò non est, inquit, donum regium. Quo subiiciente: Da ergo mihi talentum: Enimuerò, infit, non est id accipere Cynicum. *Plut. in Apophth. & de Verecundia.*

Mendico Lacon ab se petenti: Enimuerò, inquit, tibi si dedero magis mendicus eris: ac inverecundiæ hujus tuæ primus, qui tibi est largitus, fuit auctor, quòd oscitantem te reddiderit. *Plut. in apoph. Laconicis.*

AMICIS.

Ad Quinctianum, Martialis *Epigram. lib.* 5.

Qui tibi Decembri mense, quo volant mappæ,
Gracilesque ligulæ, cereique, chartæque.
Et acuta senibus testa cum damascenis,
Præter libellos vernulas nihil misi:
B *Fortasse avarus videar, aut inhumanus.*
Odi dolosas munerum, & malas artes.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Avidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diviti nihil donat,
O Quinctiane, liberalis est pauper.

MILITIBUS.

Antigonus II. juveni, qui parentem virum fortem habuerat, ipse non habitus strenuus, poscenti stipendium, quod patri Antigonus pendere solebat: Ego verò, inquit, adolescens, propriæ virtutis, non paternæ mercedem, & præmia do. *Plut. in Apophthegmatibus.*

AUARIS.

Rex Macedonum Archelaus, cùm ab eo super cœnam quidam, qui nihil nisi munera capere duceret honestum, poculum aureum peteret, imperavit puero, id Euripidi ut daret: conjectisque in istum hominem oculis: Tu quidem, infit, qui petas, dignus es, nec accipias: hic, qui accipiat, etiamsi non petat, *Plut. immodica verecundia, & in Apoph.*

IN QUO NON DARE, vel Parcè dare
C CONGIARIUM.

Phocion, flagitante congiarium ad sacrificium quoddam populo Atheniense, aliisque præbentibus, identidem appellatus, ait: Hosce poscite divites. Me verò puderet, vobis si largirer, huic non solverem, monstrans Callicleem fœneratorem. Ubi non cessarunt vociferari, & increpare eum probris, hanc narravit eis fabulam: Quidam ignavus homo parabat ad bellum proficisci. Crocientibus autem corvis, posuit arma, tenuitque se domi. Mox recipiens ea, institit pergere. Illis denuò crocientibus, substitit, & tandem ait: Etsi vos quàm maximè crocivisitis, non gustabitis me tamen. *Plutarch. in Phocione, & in Apoph.*

STIPEM SACRAM.

Lacon, cùm videret quendam exigere collectam diis: Nihil curare dixit deos magis, quàm se mendicos. *Plut. in Apoph.*

LUDOS.

Diocletianus Imp. omnibus gentibus advocatis ludos Circenses, ac scenicos, sed magna cum parsimonia edidit: quod diceret, castiores esse oportere ludos, quos censor spectaret.
D Cùm autem quidam largitionalis ejus ludos à Caro proximè editos commendaret, atque cum principem valdè populo placuisse illa ludorum editione asereret: Ergo, inquit, bene risus est in Imperio suo Carus, fuit enim princeps tam severitatis eximiæ, quàm solertiæ singularis. *Sigonius lib.1. Imp. occid.*

ARGOS.

M. Curius incusantibus cum nonnullis, quòd de agro bello capto exiguam in capita portionem assignasset, ac partem magnam publicasset: optavit neminem existere civem Romanum, qui pro exiguo habiturus esset agrum illum, qui alere ipsum valeret. *Plut. in Apoph.*

DOTEM.

Victus frugi, atque modestiæ Massiliensium illud non minimum argumentum est, quod Strabo inquit, *lib.* 4. Dotem illis amplissimam centum fuisse aureos, ad vestem quinque, ad mundum autem quinque, ampliùs verò nullo pacto licuisse. *Cælius lib.16.cap.8. A. L.*

Alexander Mammeæ nihil auri unquam in templis reposuit, illud Satyrici subiiciens, in sancto quid facit aurum. *Sab. lib.6. Enn.* 7. E

Parthorum Duces, fortes.

☞ *Pete ex loco de Fortitudine.*

REGES.

☞ *Vide locum de Magistratu. Magistratus Chronologicè consideratus.*

Participatio. Communicatio.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PArticipatio idem est, quòd Communicatio, secundùm Grammaticos. Si tamen vim vocis attendimus, est partis alicujus rei attributio, sive acceptio. Unde particeps dicitur, qui partem capit. μέτοχος Græcè, à μετέχω participo. Deducitur enim à Parte, & Capio. Qui ergo partem rei alicujus fortuitæ, aut necessariæ acquirit, illam participare, sive particeps illius fieri dicitur. Hinc nota phrasis, participem facere. Cæterùm Communicationem proprio loco enarrare voluimus: sive ea boni sit, sive mali, si Rem spectes communicatam: sive felix sit, sive infelix, si spectes Eventum. Sic Participatio datur alienæ fortunæ in utramque partem, Opulentiæ, Paupertatis, Gloriæ, Decoris, Amicitiæ, Inimicitiæ. Quorum exempla ex loco allegato sumi possunt. Illic Possidentis, hic Auctoris habetur ratio. F

PARTICIPATIO CONSIDERATA

Respectu Rerum, Quibus Participant.

ERUDITIONE.

☞ *Ex Tit. Præceptorum, quædam huc pertinebunt.*

RELIGIONE.

Quòd Judæ per omnes ferè terras, gentesque dispersi sunt, unus veri Dei providentia est in Christianæ religionis propagationem: ut quòd deorum falsorum usquequaque simulacra, aræ, luci, templa evertantur, & sacrificia prohibentur, de codicibus eorum probetur, quemadmodum hoc fuerit tanto antè prophetatum: ne fortè, cùm legeretur in nostris, à nobis putaretur esse confictum. *D. Aug. lib.4. de Civ. Dei, cap.*34.

Anglia, omnium ferè totius Europei Orbis Latini, monasteriorum, & cœnobiorum parens, & altrix appellari potest. Ex eo enim prodiere, qui vel novos instituerunt, vel veteres vivendi ritus instaurarunt. *Polyd. in hist. Anglorum.* G

HÆRESI.

☞ *Ex Tit. Hæresiarcharum, & Hæreticorum quædam huc transferenda, notione Participationis mali. Sic totus Oriens Arii veneno sub Constantio, & Valente Impp. infectus fuit.*

IMPROBITATE.

☞ *Vide Tit. Tyrannorum, & Regum improborum, quatenus improbitas illorum in Subditos redundat. Idem de parentum, & Filiorum, & Conjugum improbitate.*

ROBORE.

☞ *Participat patria Robore Victorum, tum in sacris certaminibus, tum in prælio. Eoque nomine huc referri possunt. Vide Tit. Olympionicarum.*

MORBO. Contagiosi morbi.

☞ *Hi inter Corporea suo loco connumerantur. Hic solius Participationis ratio habetur.*

DEFORMITATE.

☞ *Parentibus Filiorum, Maritis Vxorum deformitas, vel molestiæ est, vel etiam ignominiæ: sed utraque Participatione nititur, ideò hic meritò repetuntur.* H

☞ *Consule Tit. Regiones, & Vrbes populosæ, fertiles, opulentæ: quatenus Patriæ divitiæ etiam ad Cives videntur pertinere. Romanæ urbis opulentia ad locum Divitiarum referenda est, si per se consideretur: si verò ad Romanos cives, qui Reipub. membra sunt, & hujus ipsius opulentiæ aliquatenus participes, huc pertinebit.*

GLORIA, VENERATIONE.

☞ *Ex Tit. Patriæ gloria ad Cives: item Civium gloria in Patriam redundans.*

Ochozias Joram F. Judæorum rex Samariæ interfectus à Jehu cum Joram Achab F. Israelitarum rege solus sepultura cohonestatus est, propter Josaphat avum sanctissimum, cum reliqui omnes insepulti abiicerentur. 2. *Paral.* 22.

Quantum amoris, & gratiæ ob gestarum rerum gloriam sibi Joan. Corvinus dux fortissimus conciliarit, rei exitus ostendit: quippe cùm post Ladislai regis interitum, Mathiam ejus filium, regio haudquaquam genere natum, & adhuc puerum

puerum ac rerum impotem, omnes Hungari una voce regem
A appellarint *Bonfinius lib.* 8. *Dec.* 4

VICTORIA, in genere.

☞ *Victoria considerata respectu Personarum, Victoris scilicet, atque Victi: quatenus alter alterius subiectione utitur, fruitur, sic hujus est loci. Considerata verò respectu consequentis, sive comitantis honoris, si Victorem spectes, ad Gloriam pertinebit, si Victum, ad Ignominiam. Si verò Effectus perpendatur, respectu Agentis, seu Victoris, ad Libertatem, & Imperium, at respectu Patientis, ad Servitutem, & Subjectionem confert. Quòd si denique Habitus ipse, à quo victoria pendet, consideretur, ex Titulo Sapientium certamina, item Fortitudinis propulsantis, non paucis exemplis locus præsens illustrari poterit.*

VICTORIA GRAMMATICA.

☞ *Vide Titulum, Grammaticorum certamina.*

VICTORIA POETICA.

☞ *Huc Titulus, Poetarum certamina.*

Fabulæ Euripidis duæ, & nonaginta referuntur, inter quas octo Satyricæ; in iis quindecies tantùm vicit. At verò M. Varro ejus fabulas quinque, & septuaginta commemorat,
B & quinquies tantùm (judicum injuria) vicisse ait. Sunt, qui quater dicant: item semel post mortem, ejus docente nepote, qui & ei fuit cognominis. *Gyraldus in hist. Poet.*

VICTORIA MECHANICA.

☞ *Vide locum Mechanicarum artium.*

VICTORIA BELLICA MONOMACHIÆ.

☞ *Quære in Locode Duello, Victoria.*

VICTORIA BELLICA POLYMACHIÆ.

☞ *Vide Locum de Victoria, multa.*

PARTICIPATIO CONSIDERATA.

RESPECTU COMMUNICANTIS HOMINIS.

Communicat ergo.

PATRIA INDIGENIS.

☞ *Vide Tit. Gloriæ, quam Cives percipiunt ex patria illustri. Item contrarium locum ignominiæ.*

CONDITORES URBIBUS.

☞ *Ab his tanquam Parentibus, locus nativitatis omnium eorum, qui deinceps nascentur, Civium fundatur.*

PRINCIPES, REGES SUBDITIS

Commodant, vel incommodant sua Nativitate.
C *Consule Tit. Regiones nobilitatæ ortu clarorum hominum. Hic Gloria, hic Participatio alieni boni perpenditur.*

Erechtheus rex ex terra editus præbuit argumentum, ut Athenienses quibus, is imperitavit, terra item geniti censerentur, ac nominarentur αὐτόχθονες: sicut docuit etiam Plato, proindeque ejus rei symbolum, ἀττιγας, id est, cicadas aureas solitos gestare, dictosque eo nomine Tettigophoros. Etenim ejusdemodi traditur animalis origo. Cujus rei testis Thucydides historia prima. *Cælius lib.* 13. *c.7. A. L.*

Probitate. ☞ *Vide Tit. Reges boni.*

Tyrannide.

☞ *Vide locum Tyrannorum.*

Ignavia.

Synardus Danorum rex, à Gotaro Suecorum rege Scania, Jutiaque exutus est, Jarmericus F. ab Ismaro Sclavorum rege abductus, sororum altera Norvegiensibus, altera Germanis (nam venalia quondam solebant esse connubia) pretio vendita est. Itaque Danorum regnum fortissimè propagatum, tantis etiam majorum titulis illustratum, tot victoriis au-
D ctum, ob unius viri inertiam ex summo nitore fortunæ, & florentissimo rerum statu eò ignominiæ pervenit, ut pensionem, quam priùs exigebat, exsolveret. *Saxo l.* 8.

Post Cleosulfum regem res Northumbricæ in Anglia ad extitium inclinatæ sunt, populo per factiones in partes diviso. Successere ordine septem reges, populari seditione exiguo tempore vel pulsi, vel interfecti. Vacavit regnum aliquamdiu, nullo amplius id sibi petere audente, utpote quod velut equii Sejanum universi formidabant. Sic Northumbria exitio domestico agitata, deinceps triginta, & amplius annis, tam timorum populorum, quàm Barbarorum injuriis exposita fuit: donec Egbertus, Occidentalium Saxonum rex, regnum devastatum per ditionem à Northumbris factam, suo adjecit imperio, anno 827. *Polyd. lib.*4.

Perfidia.

Syracusani sub Gelone, & Hierone tyrannis mirificè floruere. Posteaquam verò Hieronymus puer rerum potitus, à Romanis ad Carthaginenses defecit, & ipse sibiipsi mortis,

& urbi pulcherrimæ, causa fuit ruinæ. *Sabell. lib.* 3. *Enn.* 5.

Præsentia, Absentia. E

Clemens V. Burdegalensis Episcopus mortuo Benedicto XI. Perusii à collegio Cardinalium absens post longam contentionem Pontifex creatus. Is autem electioni consentiens, ex Burdegala Lugdunum profectus, eò Cardinales omnes ad se vocavit, qui sine mora Pontifici obtemperarunt: atque ita Curia Romana in Gallias translata est, 1305. ubi etiam ad septuaginta quatuor annos remansit, cum magno Christianorum incommodo, potissimùm verò urbis Romæ, cujus templa magna ex parte ob solitudinem, & situm corruere, absentibus his, ad quos ea restituere pertinebat. Tres Cardinales cum senatoria potestate Romam misit, quorum auspiciis urbs ipsa, atque Italia gubernaretur. Absente autem Pontifice, bellis intestinis, & tyrannorum crudelitate misera Italia miserrimè afflicta est. Clemente V. Joanne XXIII. Benedictio XII. Clemente VI. Innocentio VI. Urbano V. Avenione residentibus. Tandem Gregorius XI. de profectione Italica cogitare cœpit: inflammatus præcipuè cujusdam Episcopi verbis, qui ab eo reprehensus, quòd non rediret ad Ecclesiam suam tam diù sine pastore nudam, respondit: Et cur neque tu, Pater sancte, cæteris exemplum datu-
F rus, episcopatum repetis Romanum? Ergo paratis in Rhodano una, & viginti triremibus (alio se iturum simulans, ne à Gallis emolumenti causa retineretur) Genuam primò, inde Cornetum contendit: unde terrestri itinere navigationem pertæsus, hyeme præsertim, Romam pervenit, anno Domini M. CCC. LXXVI. Idibus Januariis pontificatus sui septimo, migrationis verò Romanæ curiæ in Gallias, anno septuagesimo. *Platina.*

SUBDITI, CIVES PATRIÆ

Communicant suam

Gloriam.

☞ *Ex Tit. Patria clara ob Cives probos,*

Infamiam.

☞ *De hac sub loco Ignominiæ.*

COLLEGÆ PARTICIPES FIUNT

boni, malive alicujus, ex collegarum

Calamitate.

Theseus cum Pyrithoo fuit vincto, & pœnas luente pedes adamantinis constrictis vinculis. *Plut. de Amicorum multitudine.* G

Ambitione.

Romani, cùm Castori, & Polluci condidissent templum ad lacum Juturnæ, ferè non aliter, quàm Castoris nominabant, in quo nimium, vel erant incivilles ipsi, vel immodestus, & ingratus Castor: qui cùm mortalis esset suapte natura, immortalitatem beneficio fratris nactus, eam gratiam Polluci referebat, ut se præferendo, nomen, famam, ac propè vitam ejus premeret, & obscuraret, futurus ipse alioqui obscurus, & prorsum ignotus, ni aliter subvenisset. Sed nimirum prius hoc Pollux peccaverat: nam dum à patre impetrat, ut alternis tantùm viverent diebus, effecit, ne unquam alter altero frui posset. *L. Vives in lib.*18. *August. de Civit. Dei. cap.*14.

Morositate.

☞ *Vide Tit. Collegæ inimici.*

Morte.

Apud Romanos uno censore mortuo alterum oportebat se magistratu abdicare. Cùm decessisset Livius Drusus, collega ejus Æmilius Scaurus detrectabant magistratum ejurare, donec pars tribunorum plebis jusserunt eum in carcerem duci. *Plut. in quæst. Rom.* H

VICINI PARTICIPANT

VICINORUM.

Improbitate.

Αττικὸς πάροικος, id est, Atticus advena. In violentos, & feroces vicinos dicebatur. Duris apud Zenodotum ait, ex Atticorum moribus natum, quòd olim finitimos è sedibus suis exigere consueverint. Craterus inde manasse putat, quod Athenienses, qui Samum missi fuerant, indigenas expulerint. *Erasmus in Adagiis.*

Potentia.

Vide Tit. Bella inter vicinos.

Messenii ob viciniam Spartanorum periere. Id quod Diogenes Cynicus cuidam Spartiatæ exprobravit (laudanti *Hesiodum*, istud carmen ἔργων.

οὐδ' ἄβεις δ' ἀποκοίτο, ἐπὶ μὴ γείτονα κακὸς ἔῃ, id est, Nec pereat bos utique, ni affuerit vicinus malus. Respondit ei Diogenes: Atqui & Messenii periere, & eorumdem boves, in vicinia vobis

constitutis. Quippe Messanam bello afflixerant Lacedæmo-
A nii: quòd disertissimè ampliùs persequitur. *Plut. Cæl. lib. 21. cap. 29. A. L.*

Notum est illud Maronianum:

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

HOSTIUM COMMUNICATIO.

QUO AD

Pacem Reconciliari.

☞ *Vide Tit. Ex inimicis facti.*

Victoriam. Victi.

☞ *Relata sunt, Victor, & Victus. Quorum hic ex aliena virtute damnum percipit, ille ex aliena infelicitate fructum demetit. Exempla igitur ex titulo Victoriæ petantur. Item ex Titulo, Strages magnæ. Item, Crudelitatis contra hostes. Item Pacis redemptæ.*

Antiochus Magnus, cùm obtinere non posset Ægyptum, vertit se ad Asiam, & navali certamine adversùm plurimas insulas dimicans, cepit Rhodum, & Samum, & Colophonem, & Phoceam, & alias. Sed occurrit ei L. Scipio Nasica cum fratre suo, P. Scipione Africano, qui Hannibalem vicerat. Victus ergo Antiochus, intra Taurum regnare jussus est, & inde fugit ad
B Apaciam, ac Susam, & ultimas regni sui penetravit urbes. Adversù Elimæos pugnans, cum omni est deletus exercitu. Et hoc est, quod scriptura dicit, quòd multas insulas ceperit, & vincête Romano, regnum Asiæ perdiderit, & opprobrium ejus conversum sit in caput ejus, & ad extremum, de Asia fugiens, reversus sit ad imperium terræ suæ, & impegerit, atque corruerit, & locus ejus non sit inventus. *Hieron. in Dan. cap. 11.*

Cùm Epaminonda Thebano, Agesilao, Spartano, & Cononе Atheniense, qui extremi trium illustrium civitatum duces fuere, omnis Græcorum gloria defloruisse videtur. Mox enim Philippus Amyntæ filius Græciam armis adortus est, inde Alexander hujus filius, qui veterem annorum gloriam victis, & imperium abstulit, quo Athenienses Græcorum primi, annos octo & sexaginta fuerant potiti, & post eos Lacedæmonii annos ferme 30. Thebani omnium novissimi, paucos annos, quoad ipsorum urbs capta ab Alexandro est, ac direpta. *Sab. lib. 2. Eun. 4.*

Hostilius Mancinus Consul, cùm triginta millia militum sub signis haberet, à quatuor Numantinorum millibus vi-
C ctus, fœdus cum illis icere coactus est, sibi & reipublicæ ignominiosum.

Britanni à Romanis sub Valentiniano II. deserto, à Scotorum rege Eugenio, & Durstorictorum rege, magna clade affecti, iniquissimas pacis conditiones accipere coacti, ut Britanni nec legatum Romanum, nec exercitum deinceps reciperent in Britanniam, neve Romanos, Gallos, Saxones, aut alios quoscunque Scotici, Picticive nominis hostes, per suos fines sineret transire: id conantes, pro hostibus haberent, & in eos pararent arma: nulla cum gente, aut civitate fœdus inirent, aut belluum gererent, sine Scotorum, Pictorumque regum jussu: ab eisdem acciti, contra hostes ad bellum proficiscerentur, Quicquid esset Albionis ultra Humbrum fluvium, Britonibus inde cum conjugibus, liberis, fortunis abeuntibus, in Scotorum, ac Pictorum cederet possessionem. Darent sexaginta aureorum nummum millia, fœderatorum militibus partienda: viginti millia in annos victoribus penderet. Centum, darent obsides regum arbitrio, nec octo decem annis minores, nec majores triginta. Rebellionem agitantibus, paulò pòst duriores additæ conditiones: Ne publica
D concilia ulla inscùs victoribus facerent: veterem juris dicendi modum servarent: Gallorum, Romanorumve neminem, vel negotiationis causa admitterent: veteres reciperent obsides, novos darent duplicato numero. Hunc in modum Britanniam Romanis ademptam Scoti, ac Picti vectigalem sibi factam vindicarunt: posteaquam Julius Cæsar eam primùm ingressus, fecerat Romanis tributariam ann. CCCCXCVI. à Christo nato CCCXXXVI. *H. Boethius l. 7.*

Carolus Magnus Saxones vix tandem sub jugum redegit. Cruori, nominique pepercit: utque sub oculis essent, observarique facilè possent nobilitatem, & in quibus aliquid dignitatis eluceret, cum liberis, uxoribusque traduxit in Galliam Belgicam, Oceani ora ad incolendum eis data, jussoque eam tutari Lyderico maris præfecto. Ultima rebellione Saxones repetiti, milite, nobilitate, ducibus, spe vidui, necessitati paruere. Confessi, se furore lapsos, vitam impetrarunt. Qui eorum trans Albim amnem incolebant, ad suos in Galliam Cisrhenanam migrare coacti. Et hæ novæ ipsorum sedes frequentiores, quàm Germania illa Saxonia, celebrioresque erant. Decem millia ex illis delecta sunt, quæ per totam Franciam alii
A alio dividerentur. Et ne diuturnam vastitatem solitudo faceret, Abroditis eis Albim sedes descriptæ. Is fuit finis Saxo-E
nici belli, quarto & trigesimo, quàm inchoatum fuerat anno. Mortuo Carolo Magno, Ludovicus Pius eis in patriam revertendi fecit potestatem. *Æmil. lib. 3.*

Opes. Hæredes facti inimicorum.

Georgius Saxoniæ princeps Henricum fratrem cum Mauricio, & Augusto filiis, hæredem, & successorem habuit omnino præter voluntatem. Hac enim sola conditione eos hæredes esse voluit, ut nihil in religione prorsus mutarent. Sin minus, Cæsari, & Ferdinando regi omnem suam ditionem legaturus erat.

Mortem.

☞ *Consule Tit. Gaudium ex morte inimicorum.*

Julius Cæsar Capuanus, Perettus Allobrox Trojæ comes, regiæ Neapol. aulæ præfectus, & Cecholinus Perusinus, virtuti, atque amplitudini Magni Sfortiæ invidentes, nihil tale suspicantem Beneventi comprehenderunt: cùm etiam eum biduò ante submissis percussoribus interficere cogitassent. Horum malignitate captus, & crudelitate Jacobi Galli, cui Joanna regina Neapol. nupserat in quæstione tortus, priusquam è carcere mitteretur, audiit Julium Cæsarem F
ab ipso rege, digno perfidia ejus supplicio, publicè necatum: Perettum verò idem expectantem acerbissimo intestini dolore, incertum an veneno sublatum. Nec multò post Braccius Montanensis, in Asiatum campis memorabili pugna superatos Carolum Malatestam, & Cecholinum, vivos cepit: recuperata ex ea victoria urbe Perusia, Carolum tanquam hostem ingenti pecunia redimi permisit: Cecholinum autem uti inimicum, & adversarum partium acerrimum ducem, in carcere necavit. Et sic insignes injurias suas ab his plerumque, qui erant inimicissimi, vindicatas conspexit. *Jovius in ejus vita.*

Captus est Galliarum rex Franciscus à Carolo Mompenserio Borbonio, à Marchione Piscariæ, à Carolo Lanojo, præfecto Neapolitano. Omnes illos tres, ante duos annos sepultos audivit. *Livi. Vives de Concordia, & discordia lib. 4.*

SEXUS EJUSDEM PARTICIPATIO.

TUM

VIRILIS. VIR INFAMAT VIROS.

Corinthiacarum mulierum *Chorus apud Euripidem in Me-*G
dea ob Jasonis perfidiam erga Medeam, non minus malè auditurus deinceps viros sperat, quàm muliebre genus propter quarundam improbitatem:

Ουκέτι δυσκόλως
φήμας γυναῖκας ἕξει,
μάστιν δὲ παλαιγενῆν
λύζουσιν αἰδοῖαν
τὰν ἐμὰν ὑμνήσουσι πιστοσύναν.
ἐ γὰρ ἐν ἀμετέρᾳ γνώμᾳ κύριος
ἄπασι δίαιτν αἰδοῖαν
φοῖβος, ἀγήτωρ μελέων ἐπεὶ ἐν.
τέχναισν ὕμνον
ἀρσένων γένναι.
μακρὸς δ' αἰὼν ἔχει
πολλὰ μὲν ἀμετέραν,
ἀνδρῶν τε μοῖραν εἰπεῖν

Non ampliùs ignominiosa fama mulieres habebit: poemata verò priscorum desinent poetarum meam infamare perfidiam. Non enim pro nostra sententia lyræ præbuit divinam H
poeticam Phœbus, dux carminum. Nam contra cecinissent hymnum masculorum stirpi: longa verò ætas posset multis quidem nostram, virorumque partem dicere.

MULIEBRIS. MULIER INFAMAT MULIERES.

Helenam genus muliebre infamasse, *Chorus apud Eurip. in Oreste* testatur, inquiens:

Πάσας γυναῖκας ἐξίστ' εὐγενῆ δόξαν
ἡ Τυνδάρου παῖς, ἡ κακόσκοπον γένος.

Omnibus mulieribus digna odio existit Tyndari filia, quæ infamavit genus.

AUCTORES GENERIS FAMILIÆ,

COMMUNICANT POSTERIS.

Prius Mithridates ex genere fuit septem illorum Persarum, qui Magis imperium abstulere. Huic inimicus fuit Antigonus Rex Syriæ, expulitque eum in Cappadociam, ubi posteà regnavit, regnumque per manus filiis tradidit, illicque à se genitis continua serie usque ad sextum nepotem. *L. Vives in lib. 3. Aug. de Civitate Dei, cap. 22.*

Cùm

Cùm gens esset Furiorum non admodum illustris: nomen
A factis suis M. Furius Camillus paravit primus, quo tempore sub Dictatore Posthumio Tuberto in magno contra Æquos, & Volscos certamine stipendia faciebat. Ibi equo ante aciem provectus, accepto in femore vulnere, non remisit tamen pugnam: sed cùm infixum ex vulnere jaculum recepisset, congressus cum fortissimis hostium, vertit eos in fugam. Inde cùm alios est honores adeptus: tum, quæ in magna id temporis erat dignatione, censuram. *Plut. in Camillo.*

Sigifridus Comes ex agro Lucensi, ubi aliquandiù fuerat, ann. 896. in Regiensem migravit: atque ibi castra, & possessiones multas præsenti, qua abundabat, pecunia comparavit: ac posteà urbem Parmæ, Saracenorum à Fraxineto incurrentium metu perculsam in deditione accepit, Regibus Italiæ, Berengario primùm, deinde Vidone, nequaquam satis, aut virium, aut animi ad tantam injuriam prohibendam habentibus. Hic filios tres genuit, Sigifridum, Athonem, & Gerardum: quorum Atho genus Mathildis Comitis procreavit, & Marchionum Atestinorum, qui in hunc usque diem maximæ in Italia potentiæ, atque auctoritatis fuerunt. *Sigon. lib. 6. regni Ital.*

B MAJORES COMMUNICANT

Minoribus suam.

Virtutem, Gloriam.

☞ *Consule Titul. Nobilitatis.*

Impietatem.

Pericles ex sceleste prodiit domo, tantus Athenienssium Imperator, ac eloquentiæ magnitudine Jovi, disque cognomento æquatus, Olympius dictus. *Plut. in Pericle.*

MINORES MAJORIBUS

COMMUNICANT SUAM.

Successionem continuatam. Familiæ propagatio.

Abrahamo Dominus promittit posteritatem tam numerosam ex Isaac, ut & stellas cœli, & arenam maris multitudine vincat. *Genes. 15.* Ex Ismaele similiter, ex quo duodecim principes nascituros permittit. *Genes. 17.* Id quod Agar matri Ismaelis Angelus denunciarat. *Genes. 16.*

Posteri Jacob Patriarchæ, cùm ipse in Ægyptum cum 70. peditibus tantùm descendisset, ita aucti sunt, ut Ægyptiis & numero, & viribus formidabiles essent. Itaque cœperun: eos
C Ægyptii servili labore exercere; sed quanto gravius premebantur, tantò magis crescebant: donec tandem Deus eos per Moysem eduxit. *Exod. cap. 1.*

Davidi regi pietatis ergo promissio facta à Deo per Natham Prophetam, de posteritate ejus perpetuò duratura, & regnatura. Nefas enim esse existimaverat, sese in domo cedrina habitare, arcam verò Dei in linteis tabernaculis manere. Ideòque animum adjecit ædificando Deo templo. *2. Regum 7.*

Aspectum, Præsentiam, Vitam, Visi, conspecti ab avo Nepotes.

Job variis modis à Deo probatus, & tandem in integrum restitutus, vixit posteà annis 140. viditque suos natos, & nepotes ad quartum genus. *Job. ultim.*

Augustus Cæsar, neptis suæ nepotem vidit, genitum quo excessit anno M. Syllanum: qui cùm Asiam obtineret post consulatum, Neronis principis successione veneno ejus interemptus est. *Plin. lib. 7. cap. 13.*

Q. Metellus Macedonicus, cùm sex liberos relinqueret, undecim nepotes reliquit, nurus verò, generosque
D & omnes, qui se patris appellatione salutarent, viginti septem. In actis temporum D. Augusti invenitur, XII. consulatu ejus. Luciusque Sylla collega, ad III. Idus Aprilis, C. Crispinum Hilarum ingenua plebe Fesulana, cum liberis novem (in quo numero filiæ duæ fuerunt) nepotibus XXII. pronepotibus XXIX. neptibus IX. præclara pompa, cum omnibus his in Capitolio immolasse. *Plin. lib. 7. cap. 13.*

In nobiliss. Dalburgorum familia (ab antiquis Cameraiis Vangionum oriunda) patrum nostrorum memoria matrona fuit, quæ in sexto gradu descendenti Trinepotem vidit. De qua vulgato circumfertur proverbio id, quod tetrasticho legitimis hæredibus:

I Bin Matter zu ir ij Tochter sprach,
Sag deinr iij Tochter gmach
Erschaue, das ir v Tochter rayn
Liebs vj Kindlin in der VViegenvvayn.

Latinè fortassis in hunc modum verti posset:

L. B. Theat. vit. Human. Tom. VI.

1. Mater ait 2. Natæ, Die 3. Natæ Filia 4. Natain
Vt moneat 5. Natæ plangere 6. Filiolam.

Fuit memoria patrum vicus penè centum domorum in Hispania, cujus omnes incolæ erant à Sene quodam, qui adhuc vivebant progeniti: ita ut propinquitatis nomen jam deesset, quo à minimis natu vocaretur. Lingua enim Hispana suprà ævum non ascendit. *L. Vives in lib. 15. Augustin. de Civitate Dei cap. 8.*

Jolanta Balliva cùm centum propè vixerit annos, ad trecentos ferè ex se ortos vidit filios, & nepotes. *Jacobus Capellus Parisiensis*, qui aviam hanc suam fuisse perhibet, *in Fragmentis.*

Morum dissimilitudinem.

☞ *Vide locum Dissimilium.*

PARENTUM COMMUNICATIO.

erga filios. Parentes habere.

Deos, Deorum Filii.

☞ *De his quoque sub Gloria parentum.*

Jupiter captus desiderio Ledæ Tyndari regis, Cygnus factus ita jucundè cecinit, ut illum propter cantus suavitatem Leda in sinum admiserit. Ab eo compressa ovum peperit, è quo Castor, & Pollux, & Helena nati sunt. Alii F
tradunt duo ova edita, ex quorum altero, Castor, & Pollux, ex altero Helena nata sit, & Clytemnestra. Alii, ex uno tantùm ovo Pollucem, & Helenam immortales, quòd Leda è Jove conceperit: ex Tyndaro verò, Castorem, & Clytemnestram susceptos mortales ex mortali. Vocati tamen omnes Tyndaridæ, juxta Taygetum montem Laconiæ nati, ut ait Homerus in Hymnis. Theocritus in Dioscoris, Castorem, & Pollucem Jovis filios, non Tyndari, appellavit. Natos Pephni, maritima civitate insulæ ejusdem nominis, Mercurius Pellenem nutriendos deportavit. Deinde cùm Jason ad aureum vellus navigaret, & ad eum confluerent undique delecti juvenes, inter cæteros accessit quoque Castor, & Pollux, *ut ait lib. 1. Apollonius. 1. Natalis Comes lib. 8. cap. 9. Mythol.*

Fabulantur Scythæ natam apud eos ex terra virginem, umbilico tenus hominis forma, reliqua viperæ. Eam ex Jovis congressu genuisse puerum, cujus nomen fuerit Scytha. Hunc, cùm omnium, qui antè eum fuerant, clarissimus evasisset, indidisse populis Scytharum nomen. Inter hujus regis pastores extitisse fratres duos summa virtute: & G
unum Plutonem, alterum Napim appellatos: qui magnis rebus gestis, regno inter se diviso, alteros populos Plutones, alteros Napas vocitarunt. Horum magno post tempore regum progenies virtute, & belli artibus insignis, regiones ultrà Tanaim usque ad Thraciam subjecit. Versis deinde ad alteram partem armis, ad Nilum Ægypti pervenere: redactisque in potestatem, quæ intermediæ erant gentibus, usque ad orientis Oceanum, & Caspium mare, paludemque Mæotidem imperium protenderunt. *Diodorus Siculus, lib. 2. cap. 11.*

Alcmenam Thebani Amphitryonis tradent uxorem, qui cùm adversùs Teleboas Ætoliæ populos militaret, & exercitum duceret (quia Alcmenæ promiserat, se fratris ejus cædem ultuurum) Jupiter sumpta Amphitryonis forma, ut ait *Plautus in Amphitryone*, domum ante diem ingressus, illa potitus est: & cùm ex Amphitryone prægnans esset Alcmena, ut ex se etiam conciperet, tres noctes in unum conjunxit, quod spatium totum in exprimendo Hercule absumpsit: non enim sat erat spatii nox una, tantæ plantandæ arbori. Negligentius H
exceptus domum reversus Amphitryo, causam percontatus, Alcmena audivit, priore nocte, sui similem, domo abiisse. Tum intellexit à Tiresia, Jovem cum Alcmena concubuisse, *ut testatur Athenienfis Apollodorus libro 2.* Natus est igitur Thebis Hercules Jove patre, matre Alcmena. *Natalis Comes Mythologiæ lib. 7. cap. 1.*

Multi fuisse Solis filii commemorantur, quos è diversis mulieribus, & nymphis suscepit. L. Clymene Phaetontem, è Neæra Lampetien, & Phaetusam, & Pasiphaen: Augeam è Calypso: è Persa Circem, Aloeum, Ætam, & Themim, sive Ichneam. Eumelus Corinthius historicus Aloeum, & Ænam, Solis, & Antiopes filios putavit. Fabulati sunt nonnulli, Venerem à Sole fuisse compressam in Rhodo insula, & Rhodum peperisse, quo tempore aurum pluit, atque inde datum fuit nomen insulæ. Filius Solis fuit, & Macareus, Tenagus, Triopes, Ochimus, Actis, Cercaphus, Phaethon è Prote filia Nelei, Ægle, Hemithea, Dioxippe, Dirce, Miletus, Horæ, Angeronia, Sterope, Egialus, & alii complures. *Idem lib. 5. cap. 17.*

Dicitur Staphylus Bacchi fuisse filius, & Hymonæus, & A Thyoneus. Ex Ariadna Ceranaum, Tauropolim, Eyanthen, Larranym, Thoantem, & Oenopionem suscepit. E. Chronophile Philiantem, qui fuit cum reliquis Argonautis: Narcæum è Physcoa, qui primus honores Bacchi apud Elienses instituit. *Idem Mythol. lib. 5. cap. 13.*

Acdestis Jovis semine natus è petra. *Arnobius lib. 5.*

Orion è trium deorum, Jovis, Neptuni, & Mercurii semine ortus. Hi enim benignè tractati ab Hyrico Neptuni, & Alciones filio, gratitudinis ergo, cùm filium optione data poposcisset, semine in pellem bovis effuso, Orionem inde produxerunt. Quocirca & à Lycophrone Tripater dicitur. *Idem lib. 8. cap. 13.*

Antæus Neptuni, aut Terræ filius. Moris autem fuit veteribus exteros terrestri itinere ad se venientes Terræ filios nuncupare, ut Neptuni navigio advenerentur: quanquam ego his applaudo, qui Neptuni liberos immanes ὑβριστὰς καὶ παλαιστὰς ἄγριον, atque ab omni humanitate alieno, tanquam è mari genitos, sicut & terra ortos, ignoto obscuroque genere procreatos, aut enormi, & monstroso corpore præditos è poe- B tis dici consuevisse tradant. Nam ab Jove sati, quos Graeci ἡμιθέους ἥρως appellant, præstantissimi virtute, prudentia, viribus intelliguntur. *Eustathius*, hæc *Iliados α.* copiosissimè persequitur. *Brodeus in Græcis Epigrammatibus.*

In insula Jo. (quo tempore Neleus Codri F. Jonicam coloniam deduxit) puella indigena à dæmone quodam Musarum familiari impregnata, & criminis tegendi causa, in regionem Æginam abiens, à piratis intercepta, Mæoni regi Lydorum Smyrnæ dono data, ad fluvium Meletem peperit Melesigenem poetam: qui Homerus posteà dictus fuit. *Arist. in lib. Poet. teste Plut. At Heliod. lib. 3. hist. Æthiop. ait*, Mercurium cum uxore sacerdotis cujusdam Ægyptii apud Thebas centiportas concubuisse, & inde sustulisse filium, qui in utroque femore villos prælongos haberet.

Aristomenes Messenius propter insigne robur, & fortitudinem animi, genii cujusdam filius fuisse dictus est, qui cum matre ejus Nicotelea sub draconis figura concubuerit. *Pausanias in Messenicis.*

Theagenes, Thasius Herculis F. non Timosthenis. *Pausa- C nias in Eliacis lib. 6.*

Aristonis regis Lacedæmoniorum optimi uxor, tertia, quàm illam duxerat, nocte, vidit ad se venientem Astrobacum heroem, sub specie Aristonis, & coronas post concubitum ab eo accepit, quas posteà ex heroe Astrobaci desumptas fuisse constitit. Vix dum exacto mense septimo peperit filium, Demaratum dictum, quem Ariston suum non esse affirmavit, tacitè innuens, Astrobaci herois esse, qui cum uxore sua indicio coronarum concubuisset. Ea tamen vox posteà Demaratum regno privavit, cum Leutychides, & Cleomenes cum ex adulterio natum, & Aristonis filium non esse assererent. *Herodotus lib. 5. & Plutarchus.*

Q. Fabium Maximum dictatorem alii ex Nympha memorant, alii ex muliere indigena, quæ cum Hercule juxta Tiberim amnem concubuerat, natum: qui numerosam Romæ, & claram propagavit gentem Fabiorum. *Plut. in Fabio.*

In Aesclepiadis Mendetis θεολογουμένων libris lego, Acciam, cùm ad solemne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirent, ob- D dormisse: draconeque repentè irrepisse ad eam, pauloque post egressum, illamque expergefactam, quasi à concubitu mariti purificasse se: & statim in corpore ejus extitisse maculam velut depicti draconis: nec potuisse unquam eximi, adeò ut mox publicis balneis perpetuò abstinuerit: Augustum natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum. *Suetonius.*

Ex Helinando *Vincentius* hæc refert *l. 7. c. 27.* In Colonienfi Diœcesi famosum, & immane palatium Rheni fluminis supereminet, Juvamen nuncupatum: ubi pluribus olim congregatis principibus, inopinato advenit navicula, quam collo alligatam cygnus argentea trahebat catena. Inde miles novus, & incognitus omnibus exsiliit, cygnusque navem reduxit. Posteà uxorem duxit miles, liberosque procreavit. Tandem in eodem palatio residens, & cygnum inspiciens adventantem cum eadem navicula, & catena, statim in navem se recepit, nec visus est amplius: progenies autem ejus in hunc usque diem persistit. Ex eo figmento in arce Clivensi (ubi & altissima turris vetusta conspicitur, Cygnea nuncupata, in cujus fastigio cygni simulachrum volvitur) antiquissimis tapetis intexto, origines ducum CLIVENSIUM deducunt.

Probos, Claros. E

Ochozias Judæorum rex, propter scelera sua à Jehu interfectus Samariæ, quia Josaphat Judæorum regis justissimi nepos esset, sepulturam meruit: cum reliqui omnes ab Achab orti, canibus, & voluceribus diripiendi abiicerentur. *Lib. 2. Paralipomenon, cap. 22.*

Tobias junior, propter parentis sui Tobiæ probitatem, & liberalitatem erga pauperes, Raguelis Nephtalensis, Ecbatanis habitantis, filiam unicam Saram, formosissimam, & locupletissimam, uxorem duxit: Raphaele genio conciliatore, dæmonium ab ea fugavit: dimidium bonorum soceri viventis secum Ninivem duxit, alterum eo mortuo obtinuit. *Tobiæ 10. & seq.*

Othonem II. Imper. paterno nomine, quàm proprio, ut viventibus gratiorem, sic apud posteros memoriæ commendatiorem fuisse constat. *Sigonius lib. 7. regni Ital.*

Improbos.

Abrahami patris omnium credentium, in cujus semine omnes terræ generationes benedictæ fuerunt, pater Tharam, F idololatra fuit.

Pisander, & Hippolochus ab Agamennone rege Iliados λ. crudeliter occiduntur, quantumvis se dedentes, atque supplices; quoniam filii erant Antimachi, qui muneribus corruptus à Paride suaserat Trojanis, ne redderetur Helena, quin potiùs Menelaus cum Ulysse legatus missus interficeretur:

αἰ μὲν δὴ Ἀντιμάχοιο δαΐφρονος υἷες ἔασιν ;
οὗν, μὲν δὴ τοῦ πατρὸς ἀεικέα τίσαντε λάβοιεν.

L. Luculli viri clariss. pater repetundarum damnatus est, mater fuit Cæcilia, ob vitam probrosam infamis. *Plutarchus in Lucullo.*

Obscuros, Inglorios.

Nicias, Demosthenes, Lamachus, Phormio, Thrasybulus, Theramentes, viri apud Athenienses clarissimi, qui eodem tempore floruerunt, incertas habuerunt matres. *Plutarchus in Alcibiade.*

Alienigenas, Peregrinos.

Cyrus Persarum rex, ex parentibus diversæ gentis natus Musus appellari meruit ab oraculo Delphico. Cræsus enim consulturus oraculum, an diuturnum esset habiturus G imperium, à Pythia responsum accepit.

ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς μήδοισι γένηται,
καὶ τότε λυδὲ ποδαβρὲ παλυτρηφίδα παρ' ἕρμον,
φεύγειν, μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Natus autem fuit ex matre Meda, & patre Persa, Medis subjecto. *Herod. lib. 1.*

Legitimè junctos. Ingenui.

Ingenui dicebantur antiquitùs, qui patrem ciere possent, hoc est, legitimo matrimonio suscepti, qui iidem, Patricii dicebantur. *Livius lib. 10.* ubi non obscurè ingenuos iis opponit, quos posterior ætas Superiores, recentior, vulgò conceptos appellavit. *Hotom. de Verbis juris.*

Illegitimè junctos. Nothi. Illegitimo thoro nati.

☞ *Vide Illegitimus. Spurius.*

Exosos.

Romæ Magnus Pompejus filius fuit Strabonis, cujus cadaver Romani odio provecti in publicum projecerunt, & calcaverunt. *Plut. de sera num. vind.* H

Vivos.

Ex fecialibus Rom. Paterpatratus maximus habebatur, cui vivus pater, & liberi essent. Tribuebatur etiam ei prærogativa quædam, & fides. Prætores enim corpora, quæ ob formam, & venustatem vigilantem, & castam flagitant custodiam, apud hos deponebant. Utrùm, quia hi habent, ut vereantur liberos, & timeant patres? An causam nomen suggerit? Vult enim esse patratum, quasi perpetratum, & consummatum: tanquam absolutio sit aliis ille, cui contingit, cùm genitorem habeat, genitori esse. An decet jurisjurandi, & pacis præsidem simul antè, & à tergo, fecundùm Homerum, videre? Talis autem sit præsertim is, cui stirps est, pro qua consilium capit, & pater, quicum consilium capit, *Idem in quæst. Rom.*

Mortuos.

☞ *De Posthumis sub loco Ortus inter Corporea egimus, Orbi quatenus privantur amicitia paterna, sub Amicitiæ φυλάκων sunt recensiti, Hic Participatio consideratur.*

SOCE-

SOCERORUM COMMUNICATIO
A ERGA GENEROS.

T. Livius Romæ tantæ auctoritatis fuit, ut L. Magius gener ejus ob id solum nomen inter primos Rhetores haberetur, potius quàm quod eloquentia reliquis præstaret. Unde *Seneca Sententiarum lib. 6.* Pertinere, inquit, ad rem non puto, quomodo L. Magius gener T. Livii declamaverit: quamvis aliquo tempore suum populum habuerit, cùm illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent.

LIBERORUM, FILIORUM
Communicatio erga Parentes. Puta liberi
ALIQUI.

☞ *Huc Commoda, & Incommoda, quæ Liberorum susceptionem consequuntur.*

In Taprobana olim, qui liberos haberet, in regem assumi non poterat, ne regnum hæreditario jure sibi vindicaret. *Alex. lib. cap. 23.*

NULLI.

☞ *Huc Commoda, & Incommoda, quæ Sterilitatem, & orbitatem consequuntur.*

MULI.

B ☞ *Consule Tit. Fœcundorum inter Corporea. Sed & inter Fortuita locum habet, quasi Opulentia sit quædam.*

☞ *Requiratur locus de Filiis.*

MARITI UXORIBUS COMMUNICANT
fructum suæ, tum
Probitatis.

Propter Abraham dedit Dominus filium Saræ, propter Isaac geminos Rebeccæ *L. Vives de Christiana fem. lib. 1.*

Phocionis Uxor, cum à nobilissima quædam Jonici generis matrona, in amicitiam recepta, auri torques, monilia, preciosusque mundus muliebriter ei ostentaretur: At meus, inquit ornatus non est talis, sed Phocion me ornat, jam vicies Athenienfium Imperator. *Sab. lib. 8. c. 5.*

tum *Charitatis.*

☞ *Vide Tit. Conjugia honorata.*

UXORES MARITIS.

☞ *Ut puta Participant ab Uxoribus mariti varia, prout illæ probæ, Improbæ, &c. Vide Locum, Uxoribus.*

PARTICIPATIO CONSIDERATA
C RESPECTU QUORUMVIS ALIORUM
communicantium. Communicant ergo
omnibus, boni, vel mali aliquid.

DÆMONES. A DÆMONIBUS
Necati.

☞ *Ex Mortis loco exempla pete.*

Vexati.

☞ *Sub servitutis loco.*

BRUTA A BRUTIS.
Servati.

☞ *Vide Tit. Expositiorum.*

Necati.

☞ *Consule locum mortis.*

Sedibus pulsi.

☞ *De his sub loco Exilii.*

Proditi, Accusati.

In Syria scribit Agnon elephanti, qui domi alebatur, Rectorem ex demenso hordei, quod accipiebat, subtrahere, D & intervertere dimidium quotidie solitum. Hunc, ubi domino assistente aliquando, & spectante integrum demensum solvit, intentis in dominum oculis, productaque proboscide, se crevisse, & removisse partem, atque ita quàm prudentissimè rectoris sui detexisse furtum. *Plut. de Animant. comparatione.*

Ibycus poeta, cùm in Latrones incidisset, jam occidendus, grues forte supervolantes obtestatus est. Aliquanto post tempore, cùm iidem latrones in foro sederent, rursumque grues supervolarent, per jocum inter se susurrabant in aurem, αἱ Ἰβυκοῦ δικαιοι πάρεσσιν, id est, Adsunt Ibyci ultores. Eum sermonem assidentes in suspicionem rapuerunt, maximè desiderato jam pridem Ibyco. Rogati quidnam sibi vellet ea oratio, hæsitanter, atque inconstanter responderunt. Subjecti tormentis facinus confessi sunt. Atque ita velut gruum judicio penas Ibyco dederunt, ac potius suo ipsorum indicio ut dicitur, perierunt. *Plut. de Futili loquacitate.*

Pyrrhus rex in itinere offendit canem, qui jugulati corpus domini servabat: auditoque, triduo illum sine pastu durasse illic neque abscessisse, cadaver humari, canemque secum abduci, ejusque curam haberi imperavit. Paucis post diebus lustrabat rex copias suas, militesque considente rege transibant. Aderat canis quietus. Qui, ut domini Percussores conspe- E xit præteuntes, cum latratu, & ita procurrit in illos, subinde circumagens se ad Pyrrhum: non illi modò, verùm etiam toti coronæ venirent isti in suspicionem. Itaque comprehensi extemplò, & quæstione habita, cùm indicia aliunde exigua accessissent, cædem confessi, pœnas dedere. *Plut. de Animant. compar.*

Hesiodi canis Ganyctoris Naupactii indicavit Filios, à quibus fuerat Hesiodus trucidatus. *Idem.*

Quidam irrupit in Æsculapii templum, sublatis aureis, & argenteis aliquot monumentis, clàm & ignotus, ut putabat, & aufugit. At canis templi custos, cui nomen Capparus (nam indignus, qui periret αἰώνιος,) cùm videret, neminem æditurorum sua voce commoveri, fugientem sacrilegum est insequutus, ac primùm quidem saxis petitus, haud tamen discedebat. Exorto die non accedebat propius, sed procul oculis observans sectabatur, nec cibum objectum capiebat. Rursum juxta dormientem cubabat, & ipse, & abeuntem ad consimilem modum insequebatur. Quod si qui viatores fuissent obvii, iis cauda adblandiebatur, in illum unum latrabat, ac sæviebat. Hæc cùm ab aliis didicissent, simulque & canis, & nominis figuram cognovissent, sa- F crilegum apprehenderunt, & ad supplicium duxerunt, cane præcedente hilari jam, ac gestiente, quòd maleficum esset venatus. Unde ei cani de publico pastus decretus est, ejusque rei cura sacerdotibus mandata. Id sua ætate accidisse narrat *Plut.*

Tempore Constantini Pogonati Imp. cùm quidam solus cane comitante iter faceret, est à latrone, quales itinera solent obsidere, interfectus. Latrone fuga se subducente, canis eo in loco permansit, domini cadaver custodiens. Fortè alius quidam ea pergens supervenit, cadaverque projectum cernens motus misericordia, tellure effossa sepeliit. Canis id officium pergratum habuit, seque ultrò homini comitem, ac servum adjunxit. Erat autem hic homo conditione caupo: & solebat canis, iis, qui cauponam intrarent, exirentque, adulari. Post aliquantum temporis, is etiam latro, cujus meminimus, in eam cauponam bibendi causa intravit. Quem canis agnoscens, allatravit, inque ejus faciem insiliit. Hoc sæpius factum, Dei instinctu apud multos suspicionem excitavit. comprehensusque latro, & coram judice G constitutus, cùm facinus, uti erat perpetratum, confiteretur, debitas pœnas dedit. *Cedrenus.*

Liberati.

☞ *Consule locum Libertatis, Illic enim Libertas respectu ejus Acquirentis consideratur. Hic verò respectu Auctoris Regno exuti.*

Dione contra Dionysium tyrannum Siciliam movente, Timocrates, qui Dionis uxorem Dionysii sororem in matrimonio habebat, relictis in urbe amicis præpositus, nuncium raptim misit ad Dionysium cum literis, qui cum de Dionis adventu faciebat certiorem. Ipse urbanis tumultibus, & motibus intendit animum. Tabellarius cùm trajecisset in Italiam, & Rheginorum fines peragrans Cauloniam ad Dionysium properaret: occurrit cuidam familiari, qui ferebat modò immolatam victam. A quo accepta portione, maturavit pergere. Cùm partem noctis iter fecisset, ex assitudine paulisper dormire coactus, in sylva quapiam abjecit se temerè propè viam. Odorem lupus secutus, rapuit carnes peræ alligatas, H unàque auferens peram, in qua condiderat epistolam nuncius, fugit. Ut ex somno excitus, peram non invenit, metuens sine literis ad tyrannum pergere, subduxit se. Itaque Dionysius absens regno excidit. *Plutarch. in Dione.*

ARBORES.

☞ *Vide Tit. Arborum ruina oppressi. Item sub loco, Mortis instrumenta.*

Ricardus, Roberti Conquæstoris F. Normanniæ dux dum equo aream, quam avus ex demolitione templorum in ferarum luftra, & solitudinem redegerat, celerius transit, ramo arboris capillis involuto, subterfugiente equo, suffocatus est. *Malmesburiensis lib. 3. cap. 48. & lib. 4. cap. 29.*

RADICES.

Telephus Mysorum rex contra Graecos pugnans, radice vitis inter vineta hærens, ab Achille vulneratus fuit.

Pausanias stipator, cæso per insidias Philippo Macedone, dum fugit, in radicem arboris offendens, ab insequentibus cæsus est. *Plut.*

VESTES.

VESTES. VESTIBUS

A *Suffocati.*

☞ *Locum Mortis considera.*

Proditi.

Xerxis Persarum regis incestus cum Artainta nuru, ex amiculo cognitus fuit, quem ab Amestri uxore dono acceptum, Artaintæ petenti dono dederat, *Herod. lib. 9.*

ANULI. AB ANULIS

Proditi.

Ricardus Anglorum rex ab expeditione sacra domum rediturus, anulo proditus, à Leopoldo Austriæ duce capitur: cujus populares in Asia simultates cum Anglis gesserant. *Platina, & Æmilius lib. 6. Francorum.*

Conradinus Suevus, Conradi IV. regis Rom. & Siciliæ filius, à Carolo Andegavensi comite, Ludovici Regis Franciæ genero, quem pro asserendo Siciliæ regno, Pp. evocarat, acie victus cum duce Austriæ Federico, habitu Agasonum per sylvas oberrans, tandem imprudentia piscatoris, qui anulum Conradini pignoris loco pro emendis panibus offerebat, proditus, à Joanne de Frangepanibus, Asturæ domino, captus, & à Carolo per vim abductus, anno integro carceres sustinuit.

B

Collenutius lib. hist. regni Neapol.

ARMA. ARMIS

Defensi.

☞ *Ex loco Vitæ conservatæ, huc quædam.*

Necati.

☞ *Consule locum, Mortis instrumenta.*

EPISTOLA.

Regno exuti.

Dionysius tyrannus ob epistolam à lupo subductam, dum in Italia abest, regno à Dione pulsus fuit. *Plut.*

PARTICIPATIO CONSIDERATA.

Respectu Modi, per quem participant.

Videlicet.

☞ *Huc Tit. Fortes Duces, & Claris parentibus nati, & Nothi, item, Humili orti loco, qui clari evasere, quatenus ortus dedecus, vel splendor, etiam in posteros transfunditur.*

Socrates pro tribus donis Naturæ gratias agebat: quòd homo, quòd Græcus, quòdque Atheniensis natus esset.

PRECIBUS. VOTIS.

C Lacædemonii publica vota, ut Aristoni regi optimo filius nasceretur, conceperant. Natus inde filius, Demarati nomen ex re obtinuit. *Herod. lib. 6.*

Ludovicus Junior Francorum rex, ex Leonora Guliælmi Aquitaniæ Ducis F. (quam posteà repudiavit) genuit Mariam, & Alisam. Ex Constantia Hispana, suscepta est Margarita, ac Adela. Tertia uxor ducta, Adela filia Theobaldi Comitis Campani: publicisque obsecrationibus, ac votis tandem proles virilis nata, Philippus cognomento Augustus: sub cujus ortum per quietem visus est rex videre filium ex se natum, calicem humano sanguine proceribus miscere. Ex eadem Campana, procreata Agne Augusta Græcorum. *Æmilius lib. 5.*

IMPRECATIONIBUS.

☞ *Ex Tit. Imprecationis, calamitas eam consequens huc pertinet, ratione communicationis.*

INSTITUTIONE, VEL

Bona.

Philippus Macedoniæ rex, non tam quòd natus sibi esset Alessander F. qui post Magni cognomen obtinuit, gavisus est, D quàm quòd ætate Aristotelis, à quo erudiri posset.

Mala.

Lucretii filius ad supplicium tractus, patrem advocat, eique nasum mordicus avellit: ipsum accusans, quòd primos errores non emendasset, & cùm liceret, paterna castigatione viam peccandi non præclusisset *Guido Bituricensis.*

NUNCIO FELICI, VEL INFELICI.

☞ *Consule Titulum, Nunciare.*

Sub Constantino Sylvanus peditum magister in Gallia, Francis mercede adductis, purpuram sumpserat. Ea res eodem die, inclinante sole, nuntiata Mediolanum est. Sylvanum magistrum peditum solicitato exercitu ad Imperiale culmen evectum. *Sigonius lib. 6. Imp. occid.*

Post mortem Atilæ, cùm duces Ostrogothorum Valemirus, Theodemirus, & Vindemirus fratres, diversis in locis in Pannonia ipsis à Romanis concessâ habitarent: filii Atilæ eis irati, ut qui, tanquam mancipia, à legitimo domino profugissent: adversùs Valemirum, Theodemiro, & Vindemiro inscientibus, contenderunt: quorum impetum tanta ille virtute sustinuit, ut eos acie fatigatos prostraverit, & cum exigua E suorum parte Scythiam petere trans Istrum, coegerit. Quo die Theodemirus tam insignis victoriæ nuncium à fratre accepit, eodem illi natus est puer ex concubina, quem Theodericum vocavit: qui posteà regnum Gothorum in Italiam introduxit. *Sigonius lib. 13. Imp. occid.*

INDICIO BONI, MALI, INSIDIARUM.

☞ *Consule Titulum, Indicare.*

OBSEQUIO.

Vide Tit. Bonis vel Malis consilitis parere, item Titulum, Obsequi.

* DEPREHENSIONE. DEPREHENSI

Adulteri.

Huc quædam ex Tit. Adulterorum.

Proditores.

Consule Titulum Proditorum.

JUDICIO alieno COMMUNICATUR

Gloria.

Consule loco Honorum, & Præconiorum quorumlibet. Illic Honor consideratur uti bonum, quod inest alteri, hic verò, F *quatenus ab alieno pendet beneficio.*

Dedecus.

Ex loco Ignominiæ huc ea, quæ ex Judicio alieno communicantur.

Absolutio, Condemnatio.

Qualiscunque sit Absolutio, & Condemnatio, & à quocunque, quomodocumque, quamcunque fiat ob causam, cùm ab alterius judicio, & Sententia pendeat, vel Dei Hominis, huic loco eatenus inserviret. Vide Tit. Prudentiæ, vel Actus in condemnando, accusando, item, Justitiæ correctivæ in accusandis, & condemnandis noxiis, item locum Libertatis, & Servitutis.

C. Antonius, quondam M. T. Ciceronis collega in consulatu, Catilinariæ conjurationis accusatus, etsi de crimine non constitisset, damnatus est, quòd Prætor in Macedonia provinciam vexaverat: agros sociorum ab hostibus spoliatos reliquerat: Dardanos contra se venientes non sustinuisset: ab acie tunc, & dum in Mysia præerat, summa cum Romani nominis ignominia profugisset. Ita & in Græcia Miltiades damnatus est, non quòd reverà reus proditionis esset: sed quia adeò potens erat, ut vivere privatus non posset. *P. Ærodius ex Dione Nicæo lib. 38.* & *Æmilio Probo,* G *in Miltiade.*

Reo Quodam causam in judicio dicente, præteriens P. Servilius Isauricus, judices admonuit, istum, quem alioqui non noscerem, se pedibus iter faciente, honoris sui gratia equo descendere noluisse. Quo quidem improbi facti exemplo sic moti sunt judices, ut ferè indicta causa reum condemnarint. *Val. Max. lib. 8. cap. 6.* & *Dion. lib. 45.*

Partitio.

Vide DIVISIO.

Partus.

Vide GENERATIO.

Parvus.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PArvus μικρὸς exiguus, natu minor, tam de quantitate, H quam qualitate animantis dicitur. Hebræi *Katon* efferunt. Significatio est notissima.

PARVI PUMILIONES.

Pygmæi, Nani.

Pygmæorum, qui longissimi sunt, duos pedes, & quadrantem non excedunt, sive tres spithamas, hoc est, ternos dodrantes, unde Spithamæi dicuntur. Hinc proverbium, Pygmeo brevior. Habitant in extrema parte montium Indiæ (sive Ægypti, ut *Scholiastes in tertium Iliados*) agricolationi dediti. Horum mulieres quinto anno pariunt, & senescunt octavo. Infestantur maximè à gruibus femina sublegentibus, in quas turmatim prodeunt. Insidentes arietum, caprarumque dorsis, & sagittis armati, Veris tempore universo agmine ad mare descendunt, & ova, pullosque earum alitum consumunt. Ternis mensibus eam conficiunt expeditionem, aliter futuris gregibus non resisterent. Casas luto, pennisque, & ovorum putaminibus construunt. Nonnulli in cavernis degunt. *Plin. lib. 7. c. 8.*

Aristo-

Aristoteles, in Æthiopiæ regione Troglodytica Pygmæos di- A cit vivere, subireque cavernas, & ob eam causam Troglodytas vocari: fabulamve esse negat, quod vulgò de statura eorum, deque pugna cum gruibus fertur, quam Homerus cantavit, qui etiam ad meridiem terræ Pygmæos dixit agere, nempè in Æthiopia, ut etiam Strabo interpretatur, in qua regione tanta est gruum per hycmem nostram frequentia, quanta in Thracia per æstatem, videlicet eisdem gruibus pro tempore migrantibus, & remigrantibus. Mela in Arabia interiore scribit, fuisse Pygmæos, minutum genus, & quod pro satis frugibus contra grues dimicando defecit. Sunt qui esse non putent. Arist. & Plin. putant. *Lud. Vives in lib. 16. Aug. de Civ. Dei, c. 8.*

Conopas, in deliciis Juliæ neptis Augusti, duos pedes, & palmum longus. Cujusmodi etiam fuisse fertur Andromeda, liberta Juliæ Augustæ. *Plin. lib. 7. c. 16.*

Fuerunt semipede majores sub Augusto Pusio, & Secundilia, quorum corpora miraculi gratia asservata sunt in conditorio Sallustianorum hortorum. *Idem.*

Manlius Maximus, & M. Tullius equites Rom. binorum, cubitorum fuere, Varrone teste: eosque sic in loculis asservatos vidisse, testatur *Plin. lib. 7. c. 16.*

B M. Antonius Sisyphum pumilionem habuisse fertur infra bipedalem staturam, ingenio tamen vivacem. Augustus exhibuit spectaculis Lucium adolescentulum honestè natum, bipedali minorem. *Ravisus.*

De Colono, *Martialis Epigram. lib. 11.* sic scribit:

Hæredes nolite brevem sepelire Colonum,
Nam terra est illi quantulacunque gravis.

Menestrati staturam *Lucilius in Græcis Epigram.* eleganter irridet, inquiens:

ἱππεῦνν μύρμηκι μενέστρατος ὡς ἐλέφαντα.
δύσμορος ἐξαπίνης ὑπνος ἐξεπέδυ.
λακκοῦδεις δὺ ὡς ἔχε τὸ κείριον, ὡς φθόνε, φησὶν
ὅτως ἱππέυνν τὸ φαίδων.

Ea convertit *Ausonius*, sed sub Faustuli persona:

Faustulus insidens formicæ, ut magno elephanto
Decidit, & terræ terga supina dedit:
Moxque idem ad mortem est mulctatus calcibus ejus,
Perditus ut posset vix retinere animam.

C *Vix tamen est fatus, Quid rides, improbe livor,*
Quòd cecidi? cecidit non aliter Phaeton.

Puellam novem annorum à se visam scribit Albertus, quæ magnitudine unius anni videretur. *Card. de Var. ter. lib. 8. cap. 43.*

Pumilionem virum perfecta ætate cubiti longitudine in psittaci cavea in Italia visum refert *Cardanus de Subtilitate, libro de Hom. necess. & form.*

---

* Pascha.

* DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PAscha nomen est Chaldæum, quod populus Hebraicus pro Hebræo *Pesach* è Babylone rediens usurpabat, & primum nomine Phase à Deo fuit indicatum. *Exod. 12.* Sunt qui tam Phase quàm Pascha Græcam dictionem voluerunt, ἀπὸ τοῦ πάσχειν, à patiendo, adeòque per eam salutarem Christi passionem esse significatam. At reprehendit eos S. Hiero- D nym. *super cap. 20. Matth.* Est enim vox Hebræa à *Pesach* sive *Pasach*, quod transitum, sive transultum proprie significat, & favet illius institutio. Est namque Pascha festivitas instituta in recordationem, jugemque memoriam transitus, vel transilionis Angeli exterminatoris, qui paulo ante quàm populus ex Ægypto egrederetur, Dei jussu in domos Ægyptiorum insiliit, occidendo in eis omne primogenitum, & transiliendo domos Hebræorum, quæ intactæ manebant. Constat ex verbis Dei ad Moysen. Est enim Phase, [ubi Latinus interpres adjecit explicationis gratia, id est, transitus Domini.] Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum ab homine usque ad pecus. *Exod. c. 12.* Et quidem ratio hæc locum habet in prima celebratione Paschæ, sive Phase Hebræorum.

Nam aliis annis videtur celebratio hujus festivitatis potius esse facta ob commemorationem transitus, quem Hebræi fecerunt ex Ægypto per mare rubrum. Sic ut quasi triplex transitus voce hac Pascha notetur: Angeli exterminatoris Hebræorum ex Ægypto in Canaan, de quo *Deuteronom. 16. vers. c. 1.* Eorumdem per mare rubrum. De quo Augustinus. *Tract. 55. in Joan.*

USURPATIO VOCIS.

☞ *Vide Titulum de festo* PASCHÆ. *In loco* E *de Festis.*

MYSTICA EJUS D. EXPOSITIO.

Transitus ille Angeli per domos Hebræorum intactas cædè primogenitorum, præfiguravit Christum, qui transitu, id est, morte sua, nos peccati servitute, & crudelissima Dæmonis tyrannide liberavit. Dixerat autem Deus: Transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum, &c. q. d. Egrediar in similitudinem gigantis, & ingenti fortitudine irruam in hostem, ut post abscessum meum victoriæ vestigia relinquam. De transitu autem, qui per illum figuratur, dixit 23. *Joan.* Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. Qui sanè transitus Domini omnium nostrum transitus fuit. Ita *Rupertus l. 2. in c. 14. Exodi.*

INSTITUTIO APUD JUDÆOS.

☞ *Vide locum de Judæis Tit. Judæorum Societas religiosa Tempora sacra Judæorum. Item quæ initio hujus Loci dicta sunt.*

APUD CHRISTIANOS.

☞ *Pete pleraque quoad institutionem, celebrationem, &c. ex Loco de Festis diebus. Ubi etiam nonnulla, Quoad Erro-* F *res, quæ circa hoc Festum fuerunt. Item* Miracula circa diem illum, *Quo ex recepta Ecclesiæ consuetudine* celebrandum Pascha.

QUOMODO PASCHÆ DIES

INVESTIGANDUS.

Concilium Nicænum tres regulas constituit ad inveniendum Paschæ diem.

Una fuit, ut semper Pascha ageretur post diem XXI. Martii, quia illo die erat æquinoctium veris, & Pascha post æquinoctium agi debet.

Altera fuit, ut post XX. Martii expectaretur Luna XIV. & post eam diem quæreretur Pascha. Pascha enim agi debet in tertia hebdomada Lunæ, id est, à Luna XIV. exclusivè, usque ad XXII. exclusivè.

Et ad inveniendam Lunam, composuerunt Cyclum aurei numeri. Ubicunque enim in Calendario invenitur aureus numerus illius anni, ibi est Novilunium.

Tertia regula fuit, ut post Lunam XIV. occurrentem post G 20. diem Martii, expectaretur dies Dominicus, & ille esset Pascha.

Istæ regulæ illo tempore, & sequentibus annis multis optimæ fuerunt. Verè enim tunc semper erat æquinoctium XXI. Martii, & verè aureus numerus tunc indicabat diem Novilunii. At à multis jam sæculis experientia docet æquinoctium non esse fixum 21. Martii.

Ideòque post emendatum jussu Gregorii XII. Calendarium, aliæ regulæ, & observationes fuerunt decretæ, Siquidem ex constitutione Concilii Nicæni Pascha debet celebrari die Dominico, qui proximè succedit 14. Lunæ I. mensis, qualis habetur apud Hebræos, cujus Luna XIV. vel cadit in diem Verni Æquinoctii, nempe XVI. Martii: aut die sequente, hinc fit, ut si Epacta [quæ est numerus dierum, quibus annus solaris communis dierum 365. annum communem Lunarè, qui est dierũ. 354. superat] cujusvis anni inveniatur, & ab eo in Calendario notata inter diem 8. Martii & 5. Aprilis inclusivè, numerentur inclusivè deorsũ versus dies 14. proximus dies Dominicus hũc XIV sequens [ne fortè si in diẽ Dominicũ caderet dies 14. Lunæ, H cum Judæis conveniamus] erit Paschæ dies. *Videatur Clavius in Cal. Greg. c. 1. Et Soar. l. 2. de Relig. c. 6. Ribera de templo.*

VIOLANTIUM POENA

EX S. SCRIPTURA.

Apostolus *Paulus 1. Corinth. 1. vers. 30.* Inter alias causas cur multi variis morbis corripiantur, aut præmaturè moriantur, ea indicat, quod plerique indignè communicent. *Ideò*, inquit, *inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi.* Ad quæ verba S. Anselmus observat, ideò peracto Paschate, tot infirmitates sub æstatem, & tempestates ingruere, quia Dominici corporis Participes absque idonea probatione fuerunt plures, judicium sibi manducantes.

HISTORICA.

Erat tempore S. Maurilii Andegavensium Episcopi quidam irreligiosus, cui nomen Belgicus. Hic die Paschæ mandaverat servis, ut segetes mundarent, replicant illi, esse diem Paschæ, ipse urget, & invitos cogit: Sed cum illi segetes sarrire tentarẽt, mox Belgicus oculorum cæcitate percussus, clamavit ut cessarent. Cum autem tres annos in ea cæcitate permansisset, tandem tangens S. Maurilii pertranseuntis vestes sanatus est.

Tres

Tres industrii Piscatores apud Monasterium B. Mauritii
A martyris, cujus erant servi, Dominicæ Resurrectionis nocte
in Rhodanum, conscensa navi, retia jactarunt. Tum verò
non uti consueverant, sed ingentem piscium multitudinem
ceperunt, ita ut pluribus annis neque tam magnos, neque
tam multos pisces illic se cepisse faterentur. Lati ergo navim
appellunt eò loci, quò soliti erant, sed ex ea exire non pos-
sunt. Duo enim ex ipsis manuum, & pedum officio privati
totò corpore contriti erant. Tertius verò, & claudus, & sur-
dus effectus est, divina in eos ultione animadvertente, quod
Dominicæ Resurrectionis noctem violassent. Porrò is, qui
audiendi, & gradiendi vim omnem perdiderat, duo-
bus se sustentans scipionibus, & aliorum etiam opera ad-
jutus, Sanctorum loca visitat, & apud venerabilia servorum
Dei sepulchra divinam implorat misericordiam, ut eorum præ-
claris meritis possit amissam recuperare sanitatem. Cùm jam
autem multa peragrasset loca, venit etiam ad B. Bertini mona-
sterium Sithiu, ubi corpus ejus quiescit: & fratribus ejus loci
nocte Dominicæ Resurrectionis in Ecclesia vigilantibus, ille
acerbo correptus morbo à sociis precandi causa in Ecclesiam
introducitur, atque illic cum multis lachrymi salutem à Do-
mino per B. Bertini merita petens, cùm sacrosanctum Evan-
B gelium recitaretur, videt apud se quædam ardere lumina, &
ita sensim morbo recedente, subitò se curatum sentit co-
ram fratribus. Post synaxim autem gratias immensas agens
Deo, & S. Bertino, lætus inde digressus est. *In vita apud
Sur. t.5. Sept.15.*

PRIVILEGIA, ET PRÆROGATIVÆ APUD JUDÆOS.

Festum Paschale apud Judæos per septem dies durabat, qui-
bus pane azymo vescebantur. Eratque primus, & septimus
maximè solemnis. Immolabatur autem prima vespera ante
primum diem Phase, sive Agnus Paschalis, quem ea nocte
comedebant: Primo quoque, & septimo cessabant ab omni
opere, nihilominus quolibet die offerebantur sacrificia, de
quibus *Num.28. v.19.*

Etiam in die Paschæ neminem accusare, condemnare, aut
supplicio afficere poterant, atque ex hinc dicebant, dum de
Christo è medio tollendo cogitabant, non in die festo: ne for-
tè tumultus fieret in populo. Quin solebant etiam hoc tempo-
re, qui morte digna patraverant, absolvere propter festi solem-
nitatem; immò ob memoriam liberati ex Ægypto populi, ex
veterum traditione vinctum unum eo die ex carcere dimitte-
C bant, quomodo tempore passionis Christi, populo proponebatur à Pilato Christus, & Barrabas liberandus, *Mat. cap.* 27.
quando & Barrabam postolabant, Christum verò cruci tra-
debant. Etiam religione ducebantur festi, ut corpora mortuo-
rum sepelirentur, neque remanerent in locis, vel instrumen-
tis suppliciorum, ut colligere est apud *Joannem c.19.*

APUD CHRISTIANOS.

Anno Dominicæ Incarnationis 386. Valentinianus Imp.
de relaxandis tempore Paschali vinctis ejusmodi generale pro-
posuit edictum: Nemo deinceps tardiores fortassis affatus
nostræ perennitatis expectet. Exequantur Judices, quod in-
dulgere consuevimus. Ubi primùm dies Paschalis extiterit,
nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula solvan-
tur. Sed ab his secernimus eos, quibus contaminari potius
gaudia, lætitiamque communem, si dimittantur, advertì-
mus. Quis enim sacrilego diebus sanctis indulgeat? Quis ad-
ultero, vel incesti reo tempore castitatis ignoscat? Quis non
raptorem in summa quiete, & gaudio communi persequa-
D tur instantius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui
quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non sivit.
Patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulteratorve
monetæ. Homicida quod fecit, semper exspectet. Reus
etiam majestatis de Domino, adversus quem talia molitus
est, veniam sperare non debet. Mediolani *l.8. Cod. Theodos. Baron. tom.4. anno* 386.

Flavianus Episcopus Antiochenus legatione fungens Con-
stantinopoli coram Theodosio Imper. pro populo Antioche-
no sub gladio ira Principis periclitante; hæc ad eum: Recor-
dare priorum, quando solemnitate hac (nempe Paschali) su-
perveniente, per totum orbem terrarum epistolam misisti, ju-
bentem carcere detentos dimitti, & illis ignosci crimina; & il-
lis humanitatem tuam demonstrare non sufficientibus per lit-
teras dicebas: Utinam mihi liceret, & defunctos revocare,
& resuscitare, & ad priorem vitam reducere. *S. Chrysost. orat. de
Flaviano. Baronius suprà.*

PASCHÆ JUDÆORUM, ET CHRISTIANORUM CONVENIENTIA.

Diximus *in loco de Festis diebus Tit. de Pascha*, nomen
Paschæ, sive Phasæ traduci ad significanda quatuor. Primò, ut
fit idem quòd transitus. E

Secundò, significat metonymicè agnum immolatum pro
hoc transitu: sic sæpè in Scriptura dicitur immolari, vel co-
medi Pascha, id est, agnus Paschalis.

Tertiò, inde traductum est ad festum Paschale: festum enim
quo immolabatur hic agnus paschalis, vocatur Pascha: immò
& septem dies azymorum illi contigui, vocantur Pascha, *Act.
12. v.4.* quia solemnitas hæc septem dierum cum Paschate in-
cipiebat, eratque propter ipsum Pascha.

Quartò. Pascha significat victimas quaslibet ovium, &
boum, quæ illis septem diebus immolabantur, de quibus
Num.28. hæc enim à prævio Paschate Phase, sive Pascha dice-
bantur, quæ Judæi in passione Christi comesturi, ingredi no-
luerunt Pilati, utpotè ethnici, prætorium, ne contaminaren-
tur, *patet Joan.18.28.*

Porrò hæc ipsa quatuor sunt etiam apud Christianos suo
modo, id est, ut exemplaria illorum typorum. Nam Angelus
transiliens, & occidens primogenita Ægypti, & salvans filios
Israel, est Christus magni consilii Angelus, qui dum transiret
de morte ad vitam, salvavit omnes, qui ejus sanguine asper-
gendi erant, relictis cæteris in manu vastatoris.

Agnus Paschalis idem Christus est pro nobis immolatus: F
Christum enim repræsentarunt Agnus, & Angelus, quia Chri-
stus occidi, & occidere debuit; Agnus autem occidi poterat,
sed non occidere; Angelus occidere, sed non occidi.

Transitus per mare rubrum, significat transitum populo-
rum per aquas Baptismi, & ideò in Paschate ordinariè olim
baptizabantur Catechumeni.

Denique, festus dies illorum, nostrum festum diem figu-
rabat.

ALLEGORIA.

Allegoricè agnus est Christus, qui de morte transivit ad vi-
tam, de terra in cœlum, ut nos à peccato ad gratiam, ab infer-
no ad cœlum transiremus.

Unde tropologicè, Phase, id est, transitum celebrat ani-
ma, cùm egreditur à cogitationibus Ægypti, id est, à molimi-
ne peccati, *inquit S. August. tract. in Joannem.*

Pascha, *inquit S. Ambrosius lib. de Cain. c.8.* transitus est à
passionibus ad exercitia virtutis.

Et clarius *lib.1. Hexameron, c.8.* Pascha Domini quotannis
celebratur, hoc est animarum transitus à vitiis ad virtutem, G
à passionibus carnis ad gratiam, sobrietatemque mentis, à
malitiæ, nequitiæque fermento ad veritatem, & sinceritatem
regenerationis.

---

* Pasquillus, sive Pasquinus.

Quid sit illius simulacbrum, Usus, & Abusus.

PAsquillum, sive Pasquinum vocant statuam marmoream,
mutilam, naribus, brachiis, & tibiis truncatam, quæ Ro-
mæ ad angulum viæ cujuspiam regiæ ante Ædes, quas ab annis
c c. circiter Franciscus de Ursinis construxit, collocata est.
Quem autem repræsentet, dubitatur. Plures in hoc conve-
niunt, gladiatoris esse simulachrum, nisi maluerit Martis, aut
militis cujuspiam, eo enim gestu corporis manet, quasi ferire
volentis, ac subter se marmoreum aliud mutilatum truncum, H
seu fragmentum habet alterius simulachri, ut hostem esse pro
comperto habuerimus, quo cum is dimicaret.

Ferunt nonnulli, hoc esse mulachrum unius ex ducibus præ-
cipuis Alexandri Macedonum regis, qui etiam Pasquini no-
mine vocitatus fit, quod innuit auctor quidam, qui vetusta
Urbis marmorea, & ænea simulachra typis excudit.

Usus autem hujus sive termini, sive statuæ est, quòd sit
unà cum Marforio velut clandestinus internuntius omnium,
etiam quæ remotis arbitris fiunt à quovis Prælato, aut Prin-
cipe in Urbe, sic, ut etiam minutissima evulgent, idque in
hunc modum. Quippe homines quidam, aut ex genere
circumforaneorum minorum, vel eorum qui aliorum dic-
ta, factaque scrutantur, si quid aut suspicentur futurum,
aut factum, dictumque, sive à Pontifice, Cardinalibus, si-
ve ab Aulicis, Principum Oratoribus, aliisve præter vulga-
rem opinionem, illico satyram, aut dictèrium, frequenter ta-
men cum acumine, & venustate scripto concipiunt, quod
Pasquini statuæ affigunt, ut ita à transeuntibus legantur, &
in publicum occultissima quæque deveniant, idque plerumq;
non

non absque privatorum contumelia, & opprobrio, sunt enim
A instar libellorum, quos famosos vocamus.

Quare quòd toties in hac statua lacteretur, indignatus est
Adrianus Pont. eamque demoliri, & in Tiberim conicere co-
gitabat, ac negabat id facto fore utile Ludovicus Suessanus.
Dicebat enim: Pasquillus etiam ranarum more in imo vado
non erit tacitus. Ergo, inquit Pont. exuratur in calcem. Rectè
id quidem, inquit Svessanus: sed tam crudeliter necato Poetæ
clientes non decrunt, qui Patroni cineres invidiosis carmini-
bus prosequantur, supplicii locum quotannis concelebrent,
quibus verborum lusibus Pontificis mentem sedavit. *Pontanus Beyerlinck in apopht. Christ.*

Non ineptè itaque quispiam conspicatus Pasquillum, tan-
quam clandestinum internuntium, minuta quæque aulicorum
delicta suo dorso exhibere legenda, dixit: Cùm hic loquendi
libertas adempta sit; mirum, lapideis statuis, cuncta etiam
occultissima enuntiantibus, obturari non posse. *Phil. Camerar. c.66. Medit. histor. Beyerlink suprà.*

Passio.

B * DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PAssionem consideramus, ut est qualitas, & affectio quæ-
dam, quam Græci vocant Πάθος *Cicero 3. Tuscul.* pertur-
bationem, seu ægritudinem animi. August. animi passionem.
Platonici, & Aristotelici, motionem animi appellant. Et licèt
Passio generaliter definiatur per illationem actionis secundùm
Gil. Porret. lib.6. princ. quomodo idem est, quòd sustinentia,
tamen in præsenti accipitur pro qualitate, sive perfectè, aquam
dicunt qualitatem passivam, & tertiæ speciei logicæ: sive im-
perfectam, quam passionem proprie vocant, uno sensu exte-
riore perceptibilem. Talia sunt calor, frigus, calores, odium,
amor, gaudium, ira, cupiditas, & similia.

* DUPLEX.

Aristoteles *l.2. de anima c.5. Text.57.* ponit duplicem pas-
sionem, unam, quæ fit secundum qualitates ad interitum du-
centes, quæ corruptiva appellatur, ut cum quidpiam exsic-
eatur, aut calefit. Alteram, quæ fit receptio alicujus, quod
incolumitatem, & perfectionem adfert, quæ Perfectiva nun-
C cupatur, ut cùm potentia actum aliquem sibi maximè con-
venientem promit. v.g. contemplationem. Quamvis Pas-
sionem posterioris generis proprie eò nomine appellandam
non esse contendat, quia neque pati, neque alterari quid-
piam usitato nomine dicitur, nisi quod disponit, ad interitum,
aut noxam patitur.

* VARIÆ CIRCA EJUS SUBIECTUM SENTENTIÆ.

Stoici negabant hominem sapientem esse posse subjectum
passionibus, asserentes in eum has cadere nullo modo posse:
unde ἀπαθὴς sapientem dicebant, quasi impassibilem, talemque
ejus animum, qualis est mundus supra Lunam, scilicet imper-
turbatum, quem nulla nubes, aut ventorum turbo obnubilet.

Verum adversus hos reclamat natura ipsa, unde Aristoteli-
ci, & Platonici dicunt Passiones in sapientem cadere, sed ra-
tionis fræno subiici, ac moderari. *Animum rege* dicebat ille,
qui nisi paret, imperat.

Ad eum modum quo Deus ad Cain dixit *Gen.4.* sub te erit
appetitus ejus, scilicet peccati: & tu dominaberis illius. q. d.
potes per libertatem arbitrii, & gratiam tibi præparatam,
D tuæ concupiscentiæ, & invidenti appetentiæ tanquam
mancipio dominari.

PASSIONES ANIMI MOTUM CONSEQUENTES, *Quas percipit ille, qui perturbatur, aut commovetur.*

MORS Ex

Gaudio.

☞ *Vide Titulum, Gaudio mortui.*

Nostra ætate in Gallia, Uxorem Judicis vici Fezensaci in
comitatu Armeniacensi, sexagenariam, cùm amici nulla alia
ratione à conversatione quorundam avertere possent, nun-
ciari illi jusserunt, properè ad filiam veniret jam animam agen-
tem. Credula illa concito gradu venit: sed filiam sanam, &
incolumem videns, repentè mortua concidit. *Laur. Joubertus
lib.1. de Risu, cap.11.*

Mœrore.

☞ *Sub Tit. eorum, qui Mœrore obierunt, effectus ipsius Mortis scilicet per hoc veluti instrumentum illatæ habetur ratio: hic verò Causæ, sive instrumenti.*

Timore.

Quidam natura timidus, audita Herculis fama, abdiderat
se præ metu in specum quandam: deinde cùm aliquando pro-
spectaret, & Herculem fortè fortuna prætereuntem vidisset,
immodico metu exanimatus est, ac protinus diriguit, in sa- E
xum versus, quod adhuc visitur specie viri, velut à specu pro-
spicientis. Unde τὸν παρεκκαθήμενον: saxum illud vocant. *Suidas, & Zenodotus.* Inde natum proverbium, Timidiores
prospiciente. *Erasmus in Adagiis.*

MORBI EX PERTURBATIONE.

Hercules ob nimiam bilem sacro morbo fuit obnoxius.
C. Mario VII. Consuli cum quidam nunciaret ea, quæ apud
mare contra Mithridatem à Sylla facta erant, novis ti-
moribus perculsus, tremuit, futura timens, partim tanquam
præsentium vulnere malè affectus, paulò post exilium resti-
tutus, ut Possidonius philosophus scribit, in malam vale-
tudinem incidit, ex qua periit. *Joan. Gerundensis libro 8. Paralip. Hispaniæ.*

Carolus Burgundiæ dux ad Gransonium re cum Helvetiis
infeliciter gesta contristatus in ægritudinem incidit: quæ tanta
fuit, ut aucta bile, & calore naturali, cogeretur à vino absti-
nere, & uti pharmacis refrigerantibus. Ea verò tristitia sic
deinde prorsus immutavit ejus naturam, ut contraria essent
adhibenda pharmaca, quibus pristinum calorem recupera-
ret. *Phil. Cominæus lib.7. Comment.*

VIGILIÆ. F

☞ *Vigilias hic Animi vehementem agitationem consequentes perpendimus. Quæ ipsæ alioqui inter Corporeas passiones quoque referri debent. At Vigilantia, studio, & voluntate suscepta, inter Instrumenta secundaria suo loco connumerabitur. Ob studia.*

Aristophanis, & Cleanthis lucerna propter insignem stu-
dii diligentiam in proverbium abiit: ut is ad Aristophanis, aut
Cleanthis lucernam dicatur lucubrare, qui summo studio, ex-
quisitaque cura singula pensitat. *Varro lib. de lingua Latina
1. Erasmus in Adagiis.*

Cicero L. Murænam, quem accusavit Caro, defensurus, to-
tam noctem lucubravit, dum Hortensium contendit, cujus
mirè placuerat oratio, superare: ut præ nimia solicitudine, &
vigiliis ita affecerit valetudinem, ut concedere illi videretur.
Plut. in Cicerone.

Ob Gaudium.

Artaxerxes Persarum rex, cùm Themistocles supplex ad G
se venisset, noctu ter evigilans exclamavit; Themistoclem ha-
beo. *Plut. in Themistocle.*

L. Sylla à bellis intestinis Italia purgata appropinquavit pri-
mum urbi, ab ingenti gaudio, & gratulatione sicut aura
animo evectus, somnum tota nocte non vidit: quod de se-
ipso scriptum reliquit in Commentariis. *Plut. an seni tra-
tanda. Resp.*

Ob Metum.

Regi Indorum interdiu dormire non licet, nocte cogitur
cubilia per horas mutare, idque propter insidias. *Strab. lib.15.*

C. Marius VII. Consulatu suo L. Syllæ prosperis contra Mi-
thridatem successibus territus, vigiliis nocturnis agitari cœpit,
cùm vocem incertam subinde sibi videretur audire, Dura sunt
leonum cubilia. Cui malo uti mederetur, ad intempestiva se-
se pocula convertit. *Plut. in Mario.*

Ob Æmulationem.

Themistocli Miltiadis trophæa somnum excutiebant. *Plutarchus.*

SOPOR, OBDORMITATIO.

☞ *De Sopore idem quod de Vigilia judicium, diverso respectu ad diversas classes referendo.* H

Discipuli Jesu Christi nostri præ mœrore in Oliveti monte
obdormivere. *Matth.26.*

LASSITUDO. PRURITUS.

☞ *Mœrori hoc quoque, & Curis accidere interdum solet, pro corporis, scilicet, dispositione opportuna, ut membrorum lassitudo, & cutis pruritus oriatur.*

SYNCOPE, MENTIS defectus, Animi deliquium.

Saul rex Israelitarum ubi à Samuelis spectro imminens
exitium sibi, & exercitui cognovit, exanimis concidit,
nec nisi multa Pythonissæ cura animum recepit. *1. Reg.
28. 22.*

Esther regina cum duabus pedissequis ad regem Artaxer-
xem profecta, cùm eum in solio sublimem conspexisset, maje-
state territa, & animo delinquens concidit. Rex accurrens,
eam ulnis excepit, & securam esse jussit. *Esther.5.*

Achior Ammonitarum dux, conspecto Holofernis capite,
quod Judith retulerat Bethuliam, animo deficiens, præ stu-
pore in media concione concidit. *Judith.14.*

ANDRO-